ARISTOTELIS LIBER CATEGORIARUM, DE...

Nicolò Cologno, Aristoteles




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
3 K
31



ARISTOTELIS
LIBER
Categoriarum, de Interpretatione, & prima pars primi lib. Priorum Analyticorum de conformandis Syllogismis,

Versa in Latinum, & Scholijs illustrata per

NICOLAVM COLONIVM

Ad Adolescentes nouitios introducendos ad vniuersam doctrinam Analyticam, quæ quatuor libris Prioribus, & Posterioribus Analyticis continetur.

His adiunctus est Commentariolus de Methodo, & ratione docendi Aristotelis, Utilissimus ad Arist. scripta recte intelligenda.





Cum auctoritate Superiorum.

BERGOMI, Typis Comini Venturæ.

CIϽ IϽ C I.



Approbationes.

Librum hunc pro mandato mihi munere ad noui Indicis Regulas examinaui. nihil habet, quin tuto prælo commissus emitti in lucem posſit.

Io. Baptiſta Tertius Canonicus Theologus.

Idem aſſerit Presb. Martinus Thominus Sacræ Theologiæ Doct.

Io. Baptiſta Eps Bergomi } Imprimatur.
Fr. Pius Lug. Inquiſitor }



AMPLISSIMO VIRO

AVGVSTINO VALERIO

CARDINALI

ET EPISCOPO VERONÆ

Patrono optimo & doctiſsimo.





Vm nonnulli perneceſſarij mei acriter me vrgerent, vt nollē diutiùs apud me clauſos tenere, ſed paterer tandem exire, quos iam pri-

pridē lucubraui in Ariſtotelis ſcripta cōmentarios (nam quæ poteſt eſſe ingenij gloriola ex ijs laboribus, eam haud tanti facio, vt non facile paſſurus fuerim eam totam interire) ne viderer amicos contemnere, hoc Opuſculum delegi, quod ad te mitterem iudicium exquirēs tuum, an eo perlecto exiſtimes opinionem hanc meam de Methodo & recta docendi ratione Ariſtotelica veram eſſe, & neceſſariam ad doctrinam Ariſtotelis recte intelligendam. mihi placeret ſi ad id iudicandum adhiberes etiā eos, qui iſtic docent ex doctiſſima, & ſanctiſſima Societate Ieſu, quam & tu magnifacis, & ego admiror. nam ſi veſtra tantorum virorum approbatione hæc ſententia in lucem exeat, quam ego poſt multo-

rum

rum annorum labores amplexus ſum adductus, vt mihi videor, veris & euidentibus rationibus, lætabor meo me non ſtetiſſe iudicio, ſed veſtra comprobatione illorum vtilitati conſuluiſſe, qui ſcriptis Ariſtotelis delectantur.

Bergomo Idibus Iunij M D C I.

Amplitudini Tuæ

Seruus addictiſsimus

Nicolaus Colonius.

Ad Lectorem.

EXistimauimus Tyroni in ingressu ad doctrinam orationis syllogisticæ, quam tractauit Aristoteles, sicut tradita sunt Geometria, & Arithmetica, in abstracto videlicet, nam considerat Geometra in corpore trinam tantum dimensionem animo perceptam sine ulla materia, satis esse si percipiat hunc tractandi modum, & rationem docendi: quæ ratio exposita oculis ipsis non tamen est animaduersa ab interpretibus. hac autem ratione tradidit Aristoteles scientias omnes de oratione, & de rebus, sicut ostendimus in Commentariolo de Methodo, & ratione docendi Aristotelica, quem edendum curauimus cum hac prima Tyronum exercitatione: qua instructi, robustiores reuertantur ad excutiendam diligentiùs cum Commentarijs nostris maioribus, & aliorum, si libuerit, libros omnes Analyticos. incredibile est hac docendi ratio recte percepta, quantum valeat ad intelligenda, & dijudicanda scripta omnia. vide & considera. non te pœnitebit, vt arbitror, laboris.

R·D·CHRISTOPHORI
Romanelli Bergomatis.

Δεῦθ' Ἑλικωνιάδες Μοῦσαι Διὸς ἀγλαὰ τέκνα,
Ἁγνὸν θεσπεσίου λείπετε ῥεῖθρον ὄρους:
Φοίβου ἀείδοντος κιθάρῃ τοῦ Νικόλεω μὲν ἀρίστου
Ὑμνεῖτ' ἀθανάτῃ θέσκελον αἶνον ἐωί.
Αὐτὸς γὰρ φιλέων μερόπων βιοτρέμμονα φῦλα
Ἄξιον οὐρανίου γράψετο δέλτον ἔδους.
Τῶν Ἀτικισμῶν, τῶντε λόγων ἀσαφῶν μὲν ἀπηύρα
Πᾶν τὸ σκότος βίβλοις λαμπροτέροισι φάους.

Hæc eadem sic Latinitate donabat
IO. BAPTISTA ZONCA
Ciuis Bergomas.

Huc Eliconiades Musæ, Iouis inclita proles,
Diuini montis linquite sacra iuga:
Et fidibus laudes Phœbo modulante canoris
Aeternas tanti concelebrate Viri,
Terrigenarum hominū voluit qui pulsus amore
Diuina hunc dignum scribere laude librum.
Hic penit' tenebras phrasis obscurę abstulit, atq;
Omnia verba magis lucida Sole facit.

R. D. Christophori Romanelli
Carmen hendecasyl.

Quamuis dissimili stylo videtur
His, quæ manibus virum teruntur,
Quod COLONIVS *hic opusculorum*
In linguam bene transtulit latinam:

Non tamen dubium, hocce quin volumen
Omnibus cupientibus libellos
Magni Aristotelis bene atq; ad vnguem
Apte intelligere accidat iucundum,
Et gratum magis, atque fructuosum,
Quàm antè hac talia quotquot exierunt.
Longi vis studi, & improbi laboris
Huius Nonagenarij, additoq;
Præsertim ingenio pereleganti
Sic amplam patefecit hanc fenestram, vt
Quæcunque abdita seculis (abinde
Iam tot præteritis prius latebant,
Cuncta hac nunc liceat videre aperte,
Nempe sensa patris scientiarum.
Quid miraris, amice Lector, istum
Acri iudicio senem, & solerti
Tam procul potuisse peruidere?
Forsan me hac cecinisse tanti alumnum
Doctoris veneratione motum?
Annos ecce Columbus ante paucos
Audax nonne nouum retexit orbem,
Quà ante ausit mare nec secare quisq̃?
At cui non placet hic apertus orbis?
Ergo haud ambigo, quin sit hoc volumen
Pergratum, magis atque fructuosum,
Qam ante hac talia quot quot exierunt.

INDEX
RERVM NOTABILIVM.



ad

Enun-

qui

Priores

sub

FINIS.



ARISTOTELIS CATEGORIAE

PRINCIPIA PRÆCOGNOSCENDA Ex quibus doctrina tradenda demonstratur.

THESES IDEST DEFINITIONES Indicantes quid Nomen significet sicut in disciplinis Mathematicis.





Omonyma dicuntur, quę nomine tantũ cõmuni appellantur, sed per illud nomẽ eorum essentia, & natura diuersa est. Sic homo, & figura picti animalis appellantur animal. hoc enim tantum nomine inter se conueniunt; sed allata per animal eorum definitio naturam eorum diuersam ostendit. nam siquis explicet, quid sit in vtroque ipsorum essentia, vt ita dicam, animalitatis, propriam in vtroque essentiam animalitatis definiendo tradet.

SCHOLIVM.

Aristotelis Categoriæ.

Hac inscriptione significat Aristoteles id, quod tractandum suscepit. Cum autem hæc tractatio, & hic liber Categoriarum, vt ipsemet indicat Aristoteles, dirigatur ad Orationem enuntiatiuam, de qua in sequenti libro de Interpretatione, & Oratio enuntiatiua diuidatur in Affirmationem, & Negationem, quas aut veras, aut falsas esse oportet, & quæ constant ex duobus, quorum alterum vocant Subiectum, alterum Prædicatum; operæpretium est cognoscere vim harum vocum & rationem. Categorema interpretatur Cicero id, quod de aliquo, vel de aliquibus dicitur. Scholæ vocant prædicatum, quod locum superiorem in Enuntiatione tenet, sicut vocant subiectum, quod inferiorem locum tenet, & res est subiecta prædicato. Omnes.n.res tribus gradibus distinguuntur, & aliæ in imo loco, alię in summo, alię in medio collocantur. quæ tenent imum locum, Subiecti locum semper tenent in Oratione enuntiatiua: quæ collocantur in summo, Prędicati locũ semper tenent: quæ sunt in medio, possunt locum tenere Prędicati, & subiecti. Quę in summo locantur, in scholis, vocantur Prędicamenta, & Græce vocantur Categoriæ; & sunt decem summa rerum genera, vt videbimus, de quibus in hoc libro sic tractatur, quemadmodum postulat vsus, & ratio conficiendę orationis enuntiatiuæ, ad quam hic liber Categoriarum dirigitur.

Principia præcognoscenda.

Homo sensibus, & mente percipit rerum cognitionem. Sensus res sibi oblatas statim percipit. Mens non statim, sed re alia præcognita ducitur ad alterius rei cognitionem, veluti in hac oratione syllogistica.

Omne intelligens est animal.
Omnis homo est intelligens.
Omnis igitur homo est animal.

Duę

quæ primæ enuntiationes sunt duo principia, ex quibus præcognitis gignitur altera cognitio conclusionis. Sic in omni methodo primo loco statuuntur principia, per quæ doctrina methodi susceptæ demonstratur. Sũt autem hæc principia, sicuti traditur in Posterioribus Analyticis, Definitiones, Hypotheses, Axiomata. nam definitio hunc etiam vsum Demonstrationi præbet, vt sit principium Demonstrationis. Hypothesis est proposita cognitio rei, quæ propriè pertinet ad tradendam doctrinam, vel per se cognitu facilis, vel quam supponit Doctor, cui credere oportet. Axioma est sententia communis, cuius notitiam nullo docente secum affert, qui discit, vt in disciplinis Mathematicis, si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia.

Homonyma dicuntur.

Quæ Græce Aristoteles vocat Homonyma, in Scholis vocantur æquiuoca. Græca dictio est significantior. Significat enim ea, quæ simili tantum nomine communi vocari possunt; quamuis ipsa sint res diuersæ. hinc in Topicis explicans vim huius vocabuli, dicit Homonymon esse idem nomen impositum diuersis naturis. Cum igitur Definitiones explicent vim alicuius nominis, vel alicuius rei, hic indicatur vis huius vocis Homonymias, siue æquiuocationis. quæ Homonymia, siue æquiuocatio est affectio quędam earum vocum, quę dicuntur de aliquibus, quas diximus vocari prędicata: nam tales voces dicuntur prędicari de aliquo vel æquiuoce, vel vniuoce: id quod hic significatur, & in sequenti definitione. ita æquiuoca vox est, Ens, nomen commune decem Categoriarum, & rerum etiam aliarum. Tale genus est etiam Accidens nomen commune nouem Categoriarum.

Synonima dicuntur, quæ, quo nomine cõmuni appellantur, eo etiam nomine traditam essentiæ definitionem eandem habent. sic homo, & bos appellantur animal. vtrunque.n.nomine communi appellatur animal, & animalis essentia est eadem in vtroq. nam siquis explicet, quid sit in vtroque animalitatis essentia, eandem in vtroque definiendo tradet.

SCHOLIVM.

Synonyma dicuntur.

Vis huius vocis est quasi dicas simul cum nomine; quo indicatur hæc non solum nomen habere commune, sed etiam habere in eo nomine eandem definitionẽ.atq; hic discimus alteram affectionem, quam obseruare oportet in vocibus, quæ adhibentur ad conficiendam orationem enuntiatiuam: de qua in sequenti libro: vt videlicet sint uoces synonymæ vel vniuocę, vt uocant in Scholis, & vniuoce dicuntur, de quibus dicuntur, vt homo dicitur de singulis hominibus, & animal de subiectis omnibus animalibus.

Denominatiua dicuntur, quæcunq. ab aliquo denominatione differentia nominis appellationem retinent. sic à grammatica grammaticus, & à fortitudine fortis denominata, â quo denominnãtur, differunt.

SCHOLIVM.

Denominatiua dicuntur.

Hæc est propria affectio Categoriarum, & prædicatorum, quę significant accidens. nam cum pronũtiamus accidens dici de aliqua substantia, adhibemus in oratione enuntiatiua nomen deductum, & deriuatum vel denomina

nominatum, non autem primum nomen, à quo fit denominatio. dicimus.n. Plato est philosophus, non Plato est philosophia. Oportebat igitur declarare, quam vim haberet vox denominata, & quo differret à voce, à qua denominatur. Hoc igitur vno differt, quod altera vox est prima, altera ab ipsa prima deriuata, & denominata eandem rem significans in aliquo subiecto inhęrentem: Scholę vocant concretum, & à quo fit denominatio, vocant abstractum.

HYPOTHESIS PRIMA.

Quæ loquimur, aut cōplicando voces loquimur, aut per se nec vllo cōplexu. loquimur cōplicando, vt si dicam, homo currit, homo vincit. loquimur non complicando, vt si hæc per se dicam singula, homo, bos, currit, vincit.

SCHOLIVM.

Hæc diuisio bimembris, & quæ sequuntur hypotheses, principia scilicet peculiaria doctrinę tradēda aperte indicant doctrinam tradendam dirigi ad orationem enuntiatiuam, de qua in sequenti libro: vt hic videlicet cognoscamus, quæ pertinent ad voces simplices, ex quibus conficiendæ sunt affirmationes, & negationes.

Hypothesis secunda.

Entiū alia de subiecto quidē aliquo dicūtur, in subiecto vero nullo sunt: vt homo de subiecto quidē dicitur aliquo homine, ī subiecto vero nullo est: alia contrà sunt in subiecto & de nullo dicuntur subiecto: (esse autem in subiecto dico, qđ in aliquo non tanquā pars inhærēs nō potest sine illo existere, in quo est) vt aliqua grāmatica in subiecto quidē est nēpe in aīa, de

subiecto vero nullo dicitur: & hoc album in subiecto quidem est nempe in corpore, omnis enim color in corpore inhæret, de subiecto vero nullo dicitur: alia & de subiecto dicuntur & in subiecto sunt, vt scientia in subiecto est nempe in anima, & de subiecto dicitur, vt de grãmatica: alia neque in subiecto sunt, neque de subiecto aliquo dicuntur, vt aliquis homo aliquis equus. nullum.n.eiusmodi vel in subiecto est, vel de subiecto aliquo dicitur. atq; vniuerse indiuidua, & quæ vna res est numero de nullo quidem subiecto dicuntur, sed nihil prohibet, quominus eorum aliqua sint in subiecto. sic.n.aliqua grammatica in ijs numeratur, quæ sunt in subiecto, de subiecto verò nullo dicitur.

SCHOLIVM.

Entium alia.

Dictum est antea de subiecto, & prędicato, quibus constat oratio enuntiatiua. dictum est de tribus gradibus, quibus res vniuersæ distinguũtur. nunc hac hypothesis proponit nobis per diuisionem quadrimembrem pręcognoscendum discrimen Categoriarum, & prædicatorum. Ex ipsis enim alia sunt in subiecto, alia non sunt in subiecto: quibus verbis distinguitur substantia ab accidente, sicut illis uerbis dici, de subiecto, & non dici de subiecto, distinguitur uniuersale, & commune multis ab indiuiduo, quod rem unam numero significat. pulchre uero accidens describitur per id, quod est, esse in subiecto, idest, per id quod per se non subsistat, nec inueniri

possit

possit, nisi cum eo, in quo inhęret non tanquam pars. in Entibus igitur hæc consideranda sunt, ut cognoscas uarietatem subiectorum, & prędicatorum in oratione enuntiatiua. Omnia declarat, ut solet, exemplis. non temere autem ponit distributionem hanc, sed exornat concinnitate, qua solent uti oratores quoque. sic enim distribuit, ut uerba uerbis, & orationem orationi opponat. quin etiam aptissime clauduntur in medio ea, quę sunt in subiecto, id est accidentia. nam ea, quę non sunt in subiecto, uidelicet substantia uniuersalis, & substantia indiuidua intra se claudunt ea, quę sunt in subiecto, sunt autem accidentia particularia, & uniuersalia. & ultimo loco ponitur substantia indiuidua, ut omnium basis, & fundamentum, sicuti postea docebit. Græci chiasmon uocant ordinem huius distributionis à littera, χ, quam efficiunt orationes oppositę.

1		3
Dici de subiecto non esse in subiecto.	X	*Dici de subiecto, & esse in subiecto.*
utrunque accidens		cõclusum in medio.
4		2
Non dici de subiecto nec esse in subiecto.		*Non dici de subiecto & esse in subiecto.*

HYPOTHESIS TERTIA.

Quando alterum de altero prædicatur, ut de re sibi subiecta, quotquot de prædicato dicuntur, totidem de subiecto dicentur. ut homo de aliquo homine prædicatur, animal autem

de homine, ergo etiam de aliquo homine animal prædicabitur. aliquis enim homo, & homo est, & animal.

SCHOLIVM.

Quando alterum de altero prędicatur.

Cum dicis homo est diues, non prædicatur diues de homine vt de re sibi subiecta. sic ergo intelligit prędicata, quę pertinēt ad essentiam subiecti, in quibus verum est, quęcunque[s]similiter prędicantur de prædicato, prędicari etiam de subiecto prædicati, vt docet exemplo: quo exemplo significat genera & species de his, quę subiecta habent, sic prędicari, vt ponitur in hac tertia hypothesi, atque esse prædicata eßentialia.

Hypothesis quarta.


Diuersorum generum, & quę non collocantur ordine subalterno, sunt genere diuersæ etiam differentiæ: vt animalis, & scientię: animalis enim differentię sunt pedibus incedens, bipes, volatile, aquatile, quarum nulla scientiæ est. non enim differt scientia ab alia scientia, quia sit bipes. At generum subalternorum nihil prohibet, quominus eędem sint differentię. superiora enim de generibus infra se collocatis prædicantur, quare quotquot erunt prædicati differentiæ, totidem erunt, & subiecti.

SCHOLIVM.

Diuersorum generũ. *Ex hac quarta hypothesi discimus non solũ genera, & species esse prędicata essentialia, & prædicari vniuoce de sibi subiectis, sed etiã differētias: & quod ponitur in superiore hypothesi verũ esse etiã de differentijs generis ab vno latere ordine subalterno collocatis, exempli caussa, in Categoria substantię.*

Genus

Genus ſummum.



Singuli homines.indiuidua, & res vna numero.

Hypotheſis quinta.

Quæ loquimur non cōplicando,ſingula vel ſubſtantiā ſignificant,vel Quantū,uel Quale, uel Relatum ad aliquid,uel Alicubi,uel aliquo tempore,uel Situm eſſe,uel Habere ſe,uel Facere, uel Pati. Eſt autem ſubſtantia exempli cauſſa,ut homo,equus: Quantum,ut bicubitale tricubitale: Quale,ut albū,grammaticū: Relatum ad aliquid,ut duplū, dimidium, maius: Alicubi,ut in foro,in lycæo. Aliquo tēpore,ut heri,ſuperiore anno: Situm eſſe,ut iacet,ſedet: Habere ſe,ut calceatū eſſe,armatū eſſe: Facere ut ſecare,urere: Pati ut ſecari,uri. Horū,quæ diximus, unūquodq; ipſum per ſe cū loquimur, nec aiendo,nec negādo loqmur: ſed horū apta cōplicatione efficitur affirmatio, aut negatio. Omnis.n. affirmatio,aut negatio videtur vel vera,vel falſa eſſe. at quæ diſiūcta nec cōplicādo loquimur,eorū nihil verū,aut falſum eſt,vt homo,albū,uincit.

Quæ

SCHOLIVM.

Quę loquimur non complicando. *Vltima hypothesis, in qua proponitur id, quod tractandum est in hoc libro. Sunt enim decem Categoriæ. Itaque pulchro ordine cum in prima hypothesi posuisset diuisionem bimembrem eorum, quæ loquimur: nam aut pronuntiamus voces in oratione complicatas, aut extra orationem per se: posuit tres hypotheses, vnam de discrimine prędicatorum, & subiectorum, alteras duas cuiusmodi sunt prędicata essentialia: sunt autem genera, & species, & differentię generum, quę prædicantur de illis, quę continēt, & habent sibi subiecta: cum igitur hæ tres hypotheses ad ea pertineant, quæ respiciunt voces in oratione complicatas, nunc redit ad alterum membrum, cum voces extra orationem pronuntiantur per se, quarum significatio reducitur ad decē genera. quorum numerus non probatur, sed supponitur vt res nota, & veterum Philosophorum approbatione confirmata. & hæc sunt principia necessario pręcognoscenda ante doctrinam tradendam. Cum vero dicit harum simplicium vocum apta complicatione effici vel affirmationem, vel negationem, satis indicat præsentem doctrinam dirigi ad doctrinam affirmationum, & negationum, quę in sequenti libro tractatur.*

DOCTRINA PROPOSITORVM decem generum, & Categoriarum.

CATEGORIA SVBSTANTIÆ.

Substantia porro, ea videlicet, quæ & maxime propriè, ac primo, & ante omnia, & potissimum substantia vocatur, est, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neq; in aliquo est subiecto: veluti aliquis homo, & aliquis equus. Substantiæ vero secundæ dicuntur, quibus in speciebus primæ nuncupatæ substantiæ continentur, tum hæ, tum harum specierum genera, sicut aliquis homo in specie quidem continetur nempe in homine. Genus autem eius speciei est animal. Secundæ igitur hæ vocantur substantiæ, veluti est homo, & animal.

SCHOLIVM.

Substantia porro. *Vtitur secunda hypothesi ad demonstrandam hanc primam doctrinam. Cum enim posuerit ex Entibus aliqua esse, quę neque de subiecto dicantur, nec sint in subiecto, nunc docet talia entia vocari primas substantias, & esse ex omnibus potissimum, et maxime proprie substantias, & idem exemplum reponit, quod ibi posuerat, veluti aliquis homo, & aliquis equus: qua forma dicendi significantur singuli homines, & singuli equi, qui cadunt sub sensum.*

Substantiæ vero secundæ. *Non dicit, quod expectandum videbatur, quod positum est in eadem hypothesi, quæ dicuntur de subiecto, & non sunt in subiecto ut homo: sed quo-*

quoniã in tertia hypothesi declarauit quo aliquis homo esset, & homo, & animal, docet substantias secũdas esse primarũ substãtiarũ sibi subiectarũ species, & genera.

Quibus in speciebus. *Est atticismus, quomodo loquuntur boni scriptores omnes grçci, & latini. Exẽplorum plena sunt omnia, vt illud Ciceronis, Quarũ laudũ gloriã adamaris, quibus artibus hæ laudes comparantur, in his esse elaborandum.*

Perspicuum autẽ ex his, quæ dicta sunt, est, quæ de subiecto dicuntur, eorum oportere, & nomen, & eius definitionẽ nominis prædicari de subiecto: veluti homo de subiecto quidẽ dicitur, nẽpe de aliquo homine: prædicatur scilicet tum nomen ipsum: aliquem .n. & certum hominẽ dices esse hominẽ: tum hominis definitio de aliquo homine prędicabitur: aliquis .n. homo, & homo est, & animal. Itaq; nomen, & nominis definitio de subiecto prędicabitur. At eorum, quæ sunt in subiecto, in plerisq; neq; nomẽ, neq; nominis definitio prædicatur de subiecto: in nõnullis vero nomẽ quidẽ nihil prohibet prædicari interdũ de subiecto, nominis aũt definitionem prorsus nefas est. vt album, quod est in subiecto corpore, prædicatur noĩe de illo subiecto, cũ subiectũ illud albi nomine dicitur. albi vero definitio nunq̃ de illo corpore prædicabit̃. alia ergo oĩa vel de subiectis primis substantijs dicuntur. vel in subiectis ipsis primis substantijs inhęrent. atq. hoc manifestũ est ex singulis entiũ gñib⁹ demonstratione deprõpta, vt aĩal de hoĩe prædicatur, ergo & de aliquo

ho

ficie: nā si de nullo singulorū hominū, neq. de hoie specie vniuerse p̄dicabitur. Rursus albū in corpore inhæret. ergo & in aliquo corpore: nā si nō heret in aliquo ex corporib⁹ indiuiduis & singularib⁹, neq. in corpore vniuerse accepto. Itaque alia oīa vel de subiectis ipsis primis substātijs dicuntur, uel in subiectis ipsis primis subiis inhærēt. ergo si nō sint primę substātię, fieri nequit, vt aliorū quicquā prorsus existat. subiectis

SCHOLIVM.

Ex his quæ dicta sunt. *Ex hac scilicet proxima superiore doctrina, nō solū ex tertia hypothesi. nā si recte dicis aliquis homo est homo, & animal, dicis nō solū nomē hominis, sed definitionē hominis de subiecto aliquo hoīe dici. & notādū hic per animal, genus, significari totā hominis definitionē: quod sæpe facit Aristoteles, qui ī Topicis sic scripsit, Omniū, quę ponuntur in definitione, genus videri maxime naturā definiti significare. cōmunicare autē nomē, & definitionē cū re subiecta est, vt dicunt in Scholis, vniuoce de ipsa p̄dicari. sic discimus species, et genera debere vniuoce de rebus sibi subiectis prædicari. Itaq; in oratione enūtiatiua, Plato est homo, prædicatū homo vniuoce prædicatur de subiecto cōmunicans cū eo nomē, & definitionē. eodem modo prædicatur genus de sibi subiectis speciebus. vt homo, & bos est animal.*

At eorū quę sunt in subiecto. *Sicuti verū subiectū est substātia indiuidua, & prima, quę per se subsistit, nec eget alio, cui inhæreat, sic solę substantię secundæ, ut modo dictū est, sunt vera, & propria ipsius prædicata, quæ vniuoce de ipsa prædicātur; cętera, quorū natura est, ut sint & inhæreant in subiecto, vt possint aliquādo communicare nomen cum prima indiuidua substantia, definitionem certe nullo pacto communicare possunt. Itaque*

nullum accidens proprie pdicati de substantia dicitur, & cum dicis, Homo est iustus, dicis iustũ esse, huic subiecto homini accidere, in quo inhæreat. prędicari autẽ de aliquo, & esse pdicatum alicuius proprie acceptũ, est, si cum subiecto cõicet nomen, & definitionem; at in hac oratione, Homo est iustus, neutrum communicatur cum subiecto: de definitione nullum dubium est, sed nec de nomine: non enim hac oratione significas hominem appellari nomine iusti, sed hanc qualitatem hærere in homine, & hominem præditum esse iustitia. verum Aristoteles inquit aliquando fieri posse, ut aliqua ex his quæ sunt in subiecto, communicent nomen cum substantia. Hoc nulli, quod sciam, interpretes intellexerunt, qua ratione fieri vere possit: id vero docet Aristoteles in primo Priorum Analyticorum, vbi tractat de parandis diuitijs syllogismorum; quo in loco rerum infima, quæ sensu percipiuntur docens in oratione nunquam tenere locum prędicati, sic scribendo subijcit, nisi per accidens; dicimus enim interdum (& notandum uerbum interdũ, quod hic quoque ponitur) album illud Socratem esse, & illud, quod aduenit esse Calliam. notat eiusmodi orationes etiam in Posterioribus Analyticis, & in Topicis, atq; ut improprias reijci iubet. in his igitur orationibus, vt Socrates est illud album, dicitur nomine albi accidentis indiuidui appellari hãc substantiam indiuiduum, quibus accidentibus indiuiduis etiam uulgo hunc, & illum hominem, aut equum, aut aliam substantiam cõpellare solent. hoc igitur modo interdum indicat Aristoteles Accidens indiuiduum posse communicare nomen suum substantiæ. Aliorum quæ affertur hic interpretatio de abstractis, & concretis haud difficile est intelligi quam sit non solum falsa, & abhorrens à doctrina Aristotelis; verum etiam ridicula: nullam enim rationem habent horũ verborum, videlicet in aliquibus, & interdum, quæ hic ponuntur, qua in re est turpis negligentia.

Alia

Alia ergo omnia. *Ex proxima superiori duplici doctrina solas substantias secundas in munere prædicandi communicare nomen, & definitionem substantijs primis (id enim nulli accidenti contingere posse, nisi in prędicationibus quibusdam improprijs, & in quibusdā accidentibus indiuiduis, quorum nomine substantia aliqua indiuidua interdum compellatur) Ex hac inquam duplici doctrina de substantijs secundis, & de accidentibus colligitur, hęc tertia doctrina, reliqua omnia vel prędicari de primis substantijs, vel in ipsis inhęrere.*

Atque hoc manifestum est ex singulis rerum generibus demonstratione deprompta. Pręter substantias primas duo tantum sunt rerum genera, nempe secundæ substantiæ, & Accidentia. Separatim in vtrisq; demōstrat, quod proxime colligendo docuit. Et talis demonstratio vocatur inductio, quę subijcit oculis id, quod docetur. Et eodē genere demonstrationis vtitur in vtroq. rerum genere. nam sicut genera in substātia non dicerentur de specie sibi subiecta, nisi dicerentur & de indiuiduis ipsi speciei subiectis, sic genera in accidentibus non hęrerent in secundis substantijs nisi etiam hęrerent in primis. ergo alia omnia vel prędicantur de primis, vel hęrent in primis substantijs, id quod propositum est demonstrare.

Ergo si non sint primæ substantiæ, fieri nequit, vt aliorum quicquam prorsus existat.

Si attente animaduertas, huc dirigitur omnis superior doctrina, vt intelligamus genera, & species, & quæ dicuntur vniuersalia, habere id quod sunt, à primis substantijs, quæ si tollantur, necessario intereunt reliqua omnia, videlicet substantia secunda, & accidentia. quæ doctrina ex aduerso repugnat doctrinæ Platonicæ de Ideis, & Vniuersali. quod enim tribuit Aristoteles primis substantijs vt ante omnia, & potissimum substantiæ, sint & maxime proprie, id tribuit Plato suis Ideis

quæ

quę idem sunt, quod genera, & species, & vniuersalia, non quidem abstracta mentis opere à materia, & apud mentem duntaxat sic consistentia, sed extra mentem vere, & solide supra hac omnia, & ante hac omnia, quæ cernimus in hac vniuersitate, ipsa existentia.

Ex secundis autē substantijs magis substantia species est quam genus: quippe quę magis est propinqua primæ substātię. nam si quis explicet primam aliquam substantiam, quidnam sit, notiorem, & magis familiarem nobis explicationem afferat per speciem quam per genus: verbi caussa, quid sit aliquis homo, notius erit, si dicat hominem esse, quàm si dicat esse animal. alterum .n. arctiore vinculo attingit aliquem hominem, alterum latiore: & arborem aliquam si quis explicet, quid sit, notius erit, si dicat arborem esse, quàm si plantam. Præterea quoniam primæ substantiæ aliis omnibus subiiciuntur, & alia omnia de ipsis prędicantur, vel in ipsis inhærent, ob id primæ omnium maxime dicuntur substantiæ. Sicut autem prime substantiæ se habent ad alia, ita se habet species quoque ad genus: subiicitur enim species generi. nam genera de speciebus, non contrà de generibus species prçidcantur. itaq. ex his quoq. species est magis substantia quam genus. ipsarum porro specierum quæcunque non sunt genera, nulla magis est sustātia, quā sit quæpiam alia. non enim familiarius, & arcti⁹ q cq̄ affert, q. dicit aliquē hoīem esse homi

nem,

nem, quam qui dicit aliquem bouem esse bouem. sic est in primis quoque substantijs: nulla est magis substantia, quam quæpiam alia. non enim aliquis homo magis est substantia, quam aliquis bos. Meritò igitur post primas substantias harum species, & genera sola ex omnibus secundæ substantiæ vocantur: sola enim ex omnibus, quę de aliquo prędicantur, primam significant substantiam. nam siquis explicet quidnam sit aliquis homo, familiarius quidem, & notius explicet per speciem, quam per genus, nempe si hominem esse, quàm si dicat esse animal: sed ex alijs quicquid afferet, afferet, quod valde alienum sit à significanda substantia: vt si dicat aliquē hominē albū esse vel currere vel aliud quidlibet eiusmodi. Itaq; iure hæc sola ex alijs vocātur substantiæ. Atq; etiam quoniam primæ substantiæ aliis omnibus subiiciuntur, & alia omnia de ipsis prædicantur, vel in ipsis inhęrent maxime propriæ substantiæ dicuntur. sicut autem se habent primæ substantiæ ad alia omnia ita se habent genera, & species primarū substantiarum ad reliqua omnia: de his.n.reliqua omnia prædicantur. nam aliquem hominem dices esse grammaticum, ergo simili ratione & hominem, & animal dices esse grāmaticum. eadem ratione in aliis quoque.

SCHOLIVM.

Ex secundis autem substantijs.

Propositum est Aristoteli docere genera, & species primarum substantiarum iure vocari secundas substantias, quas primas nomine, & definitione repræsentant, cum accidentia, quæ sunt reliqua in rebus, neutrum communicent cum substantijs, nisi interdum per accidens, nomen, vt antea dictum est. Ex hac autem disputatione discimus naturam speciei, quæ sit primum uniuersale abstractum ab indiuiduis, quæ species habet supra se genus, cui subijcitur. Est igitur species in gradu maxime propinquo primis substantijs, quę cum sint maxime substantiæ, sequitur speciem esse magis substantiam quam genus, quod est in gradu altiore, & remotiore à primis. Et ob id etiam nobis est notior species, quia ferè sensu percipitur, vt ipsa indiuidua.

Præterea quoniam primę substantiæ.

Hac eadem ratione similitudinis ex subiectione vtitur etiam infra ad ostendendum species, & genera primarum, idest secundas substantias fungi munere subiecti, de quo prædicentur accidentia, idest cui inhæreant.

Ipsarum porro specierum quæcunque non sunt genera.

Species, quæ sunt etiam genera, sunt, quę antea vidimus vocari subalterna, & sunt media genera, quæ subijciuntur superioribus generibus, & prædicantur de inferioribus.

Nulla est magis substantia.

Comparatio, in qua adhibetur, magis, respicit gradus superiores, & inferiores, non illa, quæ sunt in eodem gradu collocata, quæ paria sunt, quod pertinet ad naturam ipsam vel speciei, vel indiuidui.

Merito igitur.

Huc spectabat superior disputatio. cum dicit, sola significant, intellige nomine, & definitione. accidentia ve-

vero, quę sunt reliqua in rebus, nullo modo primas substantias significant. nam hæ orationes, Plato est Philosophus, Plato docet, significant huic substantiæ accidere, vt sit Philosophus, vt doceat. hactenus natura primarum, & secundarum substantiarum demonstrata est, quod pertinet ad id, quod requiritur in vocibus simplicibus pro conficienda oratione enuntiatiua, quæ constat subiecto, & pręducato. & quæ docentur in hoc libro, omnia spectant vsum conficiendæ orationis enuntiatiuę.

Communiter porro omnis habet substantia, vt ne sit in subiecto. prima enim nec in subiecto est, nec de subiecto aliquo dicitur. de secundis substãtijs, perspicuum est etiam sic nullam esse in subiecto. Homo enim de subiecto quidem dicitur aliquo homine, nequaquã est in subiecto: nõ.n.in aliquo hoĩe homo species est. similiter, & animal de subiecto quidem dicitur aliquo homine, nequaquam est animal in aliquo homine. Insuper eorum, quæ sunt in subiecto, nomen nihil prohibet prædicari aliquando de subiecto, definitionem nefas est. at secundarum substantiarum, & definitio prædicatur de subiecto, & nomen. nam de aliquo homine, & hominis, & animalis similiter definitionem prædicabis. Itaque nulla vtique fuerit in subiecto substantia: Non est autem hoc substantiæ proprium, sed etiam differentia in ijs numeratur, quæ non sunt in subiecto. siquidem pedibus ambulans, & bipes de subiecto dicitur de aliquo homine, nec est in subiecto. bipes enim non est in homine, nec pedibus

ambulans. & differentiæ definitio prædicatur de quocumque dicitur differẽtia; vt si pedibus ambulans dicitur de homine etiam huius differentiæ definitio de homine prædicabitur. est enim homo animal pedibus ambulans. non perturbet autem nos, quòd substantiarum partes sint in subiectis ipsis totis: nequis forte credat ob id nos cogi eas partes asserere non esse substantias. non enim sic dicebantur aliqua esse in subiecto, quæ tanquam partes in aliquo inexisterent. Habent etiam hoc propriè substantiæ, & differentiæ, vt omnis ab ipsis prædicatio, de inferioribus sit synonyma, & vniuoca. prædicantur enim aut de indiuiduis, aut de speciebus, sub quibus sunt indiuidua. nam à prima substantia nulla existit prædicatio, quippe quæ de nullo dicitur subiecto. Ex secundis autem substantijs species quidem de indiuiduo prædicatur, genus vero & de specie, & de indiuiduo: similiter, & differentiæ & de speciebus, & de indiuiduis prędicantur: & definitionem accipiunt primę substantiæ specierum, & generum, & species sui generis definitionem: quotquot enim de prædicato dicuntur, totidem & de subiecto dicentur. simili modo differentiarum etiam definitionem accipiunt tum species tum indiuidua. at synonyma esse posita sunt, quorum, & nomen commu-

ne,

ne, & definitio eadem. quare omnis à substantijs, & differentijs prędicatio synonyma est, & vniuoca.

SCHOLIVM.

Doctrina horum generũ sic ferè progreditur, vt postquam ea tradidit quæ pertinent ad cognoscendã naturã propositę Categoriæ pro ea consideratione quam dirigi diximus ad conficiendam orationem enuntiatiuam, etiã ostendat quo potissimum proprio distinguatur à cæteris Categorijs. Hæc prima proprietas, non esse in subiecto, manifesta est ex superiori doctrina. hoc enim proprio, & altero, quod sequitur de prædicatione vniuoca distinguitur substantia ab Accidentibus, illo omnis substantia, altero substantię secundæ. quam vtranque doctricam perspicuã ex superioribus sic nunc repetit, vt subiiciat doctrinam differentię, quam vidimus in quarta hypothesi numerari cum prędicatis essentiam subiecti significãtibus, sicut significant species, & genera.

Prima enim.

Affertur posita definitio in principijs pręcognoscendis pro re demonstranda.

Non enim in aliquo homine homo species est.

Nec homo nec animal in aliquo homine est quomodo album, & similia, quæ dicta sunt esse in subiecto. sed sunt prędicata essentialia repręsentantia singulorum hominum naturam. itaque dicuntur prędicari de ipsis nõ esse in ipsis.

Sed etiam differentia in his numeratur.

Doctrina hęc tota de substantia, quę nulla sit in subiecto, sic repetita est, vt doceret differentiam aliud esse ab accidentibus quæ nec nomen nec definitionẽ cõmunicant cũ subiecto, nã differentia vtrunque communicat, sicut



dictum est de secundis substantijs, & adhibetur in definitione ad perficiendam naturam subiecti. itaque oportuit ponere etiam illam hypothesin de prædicatione differentiarũ similiter vt specierum, & generum subalternorum: vt inde hæc demonstraretur doctrina de prædicatione vniuoca à specie genere, & differentia de inferioribus ipsis subiectis. itaque vberem hic doctrinam habemus de genere, specie, & differentia, nec aliunde necesse est eam petere, quin etiam, & quantum sit satis doctrinæ de proprio, & accidente, non difficile est hinc haurire. Item potest quisque oculis ipsis cernere, quomodo theses, et hypotheses positæ in principijs ad doctrinam, quæ traditur, demonstrandam adhibeantur.

Omnis plane substantia videtur significare hoc aliquid subsistẽs, quod sub sensum cadat, ac per primas quidem substantias sine vlla dubitatione verum est significari hoc aliquid. indiuiduum enim, & vna res numero per ipsas significatur. in secundis vero substantijs, quando aliquis protulerit hominem, aut animal, videtur quidem ipsa figura effandi similiter hoc aliquid significare, non tamen verum est, sed potius tale quid significat. siquidem homo, aut animal non est vnum subiectum, sicut prima substantia, sed de multis homo dicitur, & animal. non tamen simpliciter tale quid hæc significant, sicut album, quod nihil aliud significat nisi talem quandam qualitatem. species autem, & genus talem quendam complexum, & comprehensionem in substantia circunscribit, & talem quandam substantiam significat.

qui

qui cõplexus, & circunſcriptio amplior ſit in ge nere quàm in ſpecie. qui enim dicit animal, plura comprehendit, quàm qui dicit hominem.

SCHOLIVM.

Secundæ ſubſtantiæ vt homo, & animal ſunt talis quædam ſubſtantia, quę ſuo complexu primas cõtinent, & ſunt opus mentis, & mente percipiuntur, ſicut primę percipiuntur ſenſu, & cadunt ſub ſenſum. ſunt enim τόδε τι *ideſt hoc aliquid, quod monſtrari digito poteſt, cum ſit una res numero, id quod differt ab eo, quod eſt vnum aut ſpecie, aut genere.*

Habent etiam hoc propriæ ſubſtantiæ, nihil ipſis eſſe contrarium. ac primæ quidem ſubſtantiæ, vt alicui homini, aut alicui animali quidnam fuerit contrarium? quandoquidem nihil eſt contrarium ne homini quidem, aut animali. verum non eſt hoc proprium ſubſtantię tantum: ſed in alijs multis eſt hæc proprietas, veluti in quanto, menſuræ bicubitali, aut tricubitali nihil eſt contrarium, aut numero, quo decem comprehenduntur, aut alijs id genus: niſi quis objciat multum pauco contrarium eſſe, aut magnum paruo: ſed quantis, quæ menſuram terminatam ſignificant, nihil eſt contrarium.

SCHOLIVM.

Ac primę quidem.

Argumentum à minore, quomodo fuerit contrarietas in primis, quæ maxime ſunt ſubſtantię, ſi non eſt in ſecundis?

Mensuræ bicubitali affert exemplum in vtroque genere quantitatis.

Nisi quis obiiciat.

Hæc obiectio fusius alio loco tractabitur.

Nec etiam videtur substantia id admittere vt dicatur magis aut minus substantia: quod sic intelligi volo, non quod substantia collata cum alia substātia non sit magis, & minus substantia, id enim esse iam ostēsum est: sed quod cuiusque substantiæ essentia non dicitur magis & minus, veluti si homo capiatur pro hac ipsa essentia, non erit magis & minus homo, neque ipse se ipso neque alius homine alio. non enim est alius homine alio magis homo: sicut albū est aliud alio magis, & minus album, & pulchrum alio magis, & minus pulchrum. & cum seipso collatum magis, & minus dicitur: vt corpus quod album est magis album nunc dicitur quam antea, & quod calidum est magis, & & minus calidum dicitur, at substantia nequaquam magis aut minus dicitur. nec .n. homo magis nunc homo dicitur quam antea, nec aliud quicquam quod sit substantia. quare non admittit substantia, vt magis aut minus substātia dicatur.

SCHOLIVM.

Vbi non est contrarietas, ibi locum non habent magis & minus: vt in substantia, & in quantis de quibus antea: quorum natura neque intenditur neque remittitur, sed eadem semper manet. quinque semper sunt quinq; nec

Nec aliquando magis aliquando minus. sic est de homine, & de qualibet substantia, semper manet idipsum quod est.

Verum maxime proprium videtur esse substantiæ vt eadem, & vna numero suscipiat cõtraria: cuiusmodi rem in nullo alio rerum genere, quod non sit substantia potest quis afferre, vt una res numero suscipiat contraria: exẽpli caussa color hic unus, & idem numero non dicitur albus, & niger, nec eadem actio, & vna numero praua, & recta. sic, & in alijs quæ sint. quæ non sunt substantia. Substantia uero una, & eadem numero suscipit contraria. veluti aliquis homo vnus, & idem modo albus modo niger fit, & calidus, & frigidus, & prauus, & bonus. Atque eiusmodi varietas in nullo alio rerum genere uidetur: nisi forte quis obiiciat atque asserat orationem, & opinionem suscipere contraria. eadem enim oratio, & uera, & falsa uidetur esse, ut si uera sit oratio aliquẽ sedere, eo surgente, & erecto eadẽ hæc erit oratio falsa. sic est etiã de opinione, nã siquis uere opinetur aliquem sedere, eo surgente, & erecto falso opinabitur eandem de illo opinionem habens. Quod siquis id de oratione quoque, et opinione concedendũ putet, at modo certe suscipiendi cõtraria differũt. nã substãtię ipsæ mutatæ contraria suscipiũt. frigidũ. n. ex calido effectũ mutatum est, & nigrum ex albo, & quod

bonum est ex prauo. similiter, & in alijs vnaquęque singillatim substantia ipsa mutata suscipit cõtraria. at oratio& opinio ipsa quidem permanent omnis prorsus expertia motus. re uero, quę subest ipsis, mutata, contraria in ipsis contingunt. oratio enim permanet eadem, Aliquem sedére. re autem mutata, fit modo vera, modo falsa, sic est, & de opinione. Quare hoc certe modo fuerit proprium substantię, vt ipsa cum sui mutatione contraria suscipiat. verum siquis, & hæc admittat orationem, & opinionem suscipere contraria, id minime verum est. nam oratio, & opinio non ipsa quicquam suscipiendo, contraria suscipere dicuntur, sed quod in alia quapiam re sit effecta mutatio. quod enim res vera sit, aut falsa, quæ subiecta est orationi, ob id oratio vera, vel falsa dicitur, non quoniam ipsa suscipiat contraria. prorsus enim a nullo impellitur, & mouetur oratio, aut opinio. quare nullo modo fuerint aptæ ad suscipiẽnda contraria, cum nullus motus in ipsis gignatur. at substantia, quòd ipsà contraria suscipiat, ob id suscipere dicitur contraria: morbum enim, & sanitatem suscipit, & alborem, & nigrorem, & alia eiusmodi. itaque contraria suscipere dicitur. fuerit igitur proprium substantiæ, vt eadem, & vna numero cum sui mutatione contraria suscipiat. Ac de substantia hæc sint satis.

SCHO-

SCHOLIVM.

Hoc est vere proprium, quo hac Categoria distinguitur à ceteris omnibus categorijs: & est proprium primæ substantiæ, quę verissime, & maxime proprie dicitur substantia, de qua secundę substantiæ vniuoce prędicantur, & à qua accipiunt secundæ, vt etiam ipsæ suscipiant contraria permanentes eadem vnitate, vel specifica, vel generica.

Opinio est, quod animo intus sentimus, ac veluti sententia, & intima locutio.

Quod siquis id de oratione quoque, & opinione concedendum puter.

Duplex est ratio refellendi, quod obijcitur, vna cum ostendimus, quod obijcitur, nihil, ei obesse, quod nos dicimus, quæ græce vocatur Antiparastasis, altera cum negamus id, quod obijcitur, verum esse, quàm Enstasin vocant. vtrà vtaris priore loco, nihil refert. nunc priore loco ponitur Antiparastasis.

Verum siquis, & hęc admittat.

Nunc in refellendo vtitur Enstasi, & negat verum eße, quod obijcitur. non enim rectè dicitur ea suscipere contraria, quę non sentiunt affectiones, & motus contrarios.

SVMMA DOCTRINAE TRADITAE De hac Categoria substantię.

Verum subiectum omnium esse primam substantiam, qua sublata reliquorum nihil esse possit.

Secundas substantias ideſt species, & genera primarum uere dici prædicari de subiecto, cum quo videlicet communicant nomen, & definitionem, id quod facit, & differentia. Itaque species, genera, & differentias vocant prędicata essentialia, quæ vniuoce prędicantur de inferioribus sibi subiectis.

Accidentia cum sine subiecto, in quo hęreant consi-

stere

stere nequeant rectius dicuntur hęrere in subiecto quā prędicari de subiecto de quo mutabiliter dicuntur.

De Quanto.

Quantum sic diuiditur, ut aliud quantum sit discretum, aliud continuum. item sic diuiditur, vt alia quanta ex iis constent partibus, quę ita locum habent in ipsis totis, ut se mutuo cōtingant, alia non consitent ex iis partibus ita locum habentibus. Discretum quantum est numerus, & oratio; continuum autem Linea, superficies, corpus, insuper locus, & tempus. nullus enim communis terminus est, quo numeri partes copulentur: veluti quinque si sint pars ad decem pertinens, nullus communis terminus est, quo copulentur quinque, & quinque, quę semper discreta manent. sic tria: & septem nullo communi termino copulantur, ac plane in numero nullum capere terminū potes, quo partes ipsius copulentur, quæ semper discreta manent. Itaque numerus ad quanta discreta pertinet; similiter, & oratio. nam orationem ad quantum pertinere ex illo manifestū est, quod orationem metiamur syllaba breui, & longa. loquor autem de oratione, quam uoce pronūtiamus, huius orationis partes nullo communi termino copulantur. non. n. est communis terminus quo syllabę inter se copulentur, sed quęlibet syllaba ipsa per se discreta est.

SCHO-

SCHOLIVM.

Quam in principijs enumerauit categoriam secundo loco, eius nunc doctrinam secundo loco tradere aggreditur. est autem Quantum accidens primum quod oculis obijcit substantiam. & quoniam accidens in subiecto notius est quam si per se in abstracto, vt vocant, consideretur, iccirco de quanto disputat non de quantitate, & quanti, quod sub sensum cadit nec eget definitione naturam satis est explicare diuisione, vt cognoscamus quot sint rerum genera, quę numerantur in quantis. hoc enim necessarium est ad conficiendam orationem ad quam dirigitur categoriarum doctrina. affert autem duplicem diuisionem alteram veterem, alteram, vt putamus, nouam, & inuentam ab ipso Aristotele.

Quę ita locum habent in ipsis totis, vt se mutuo contingant.

Quod est grace ἔχειν θέσιν ipso interprete Aristotele est locum habere, & in loco situm esse, vt monstrari digito possit, & talia quanta sunt comprehensibilia sensu, vt linea, & omnis magnitudo, sic in Analyticis dicit etiam ipsa puncta esse θετά, et monadem esse ἄθετον idest rem qua non possit subijci oculis.

Discretum quantum.

Duo numerantur in quantis discretis numerus, & oratio. quinque in quantis continuis, quorum tria tractat Geometria nobilissima scientia, cuius subiectum est magnitudo abstracta à materia, cuius species sunt linea, superficies, corpus, in quo trina tantum dimensio consideratur, & hoc est corpus mathe-

mati-

maticum pertinens ad Quantum: nam corpus physicum est substantia. sic numerus est subiectum Arithmetices alterius principis scientia inter mathematicas. Orationem ad quantum pertinere ipsa pronuntiatio recta barbarismum fugiens demonstrat. & poeta ex hac orationis considerata mensura tot pedes, tot rithmos, & numeros, tot metra inuenere ad aurium voluptatem pro rerum ipsarum dignitate, & varietate, vt hęc sit poetices hominum res, & vitam imitantis pars non contemnenda. Locus porro, & tempus numerantur cum quantis continuis, sed quodammodo per se, quoniam sunt res non ita notę, de quibus tractat Philosophus physicus. aliorum trium discipulus cognitionem habebat exercitatus in disciplinis mathematicis.

Nullus enim communis terminus est, quo numeri partes copulentur.

Quantum discretum sic definitur in disciplinis mathematicis, videlicet id esse, cuius partes nullo communi termino copulentur. vtitur igitur hac definitione, tanquam re nota discipulis accedentibus ad hanc doctrinam.

At linea est quantum continuum. licet .n. punctum accipere communem terminum, quo partes lineæ copulantur, & superficiei accipere lineam. nam planæ figurę partes communi aliquo termino copulantur. similiter in corpore quoque accipere communem terminum potes lineam, aut superficiem, qua partes corporis copulantur. Tempus etiam, & locus cum continuis numerantur. instans enim tempus, quod, nunc, vocabulo significatur, coniungit pręteritum tempus cum futuro. Locus item

est

est in quantis continuis. nam corporis partes aliquo continentur loco, quæ corporis partes aliquo termino communi copulantur. ergo, & loci partes, quæ continent singulas corporis partes, eodem termino communi copulantur, quo partes corporis inter se coniunguntur. Itaque quantum continuum est locus, quoniam vno communi termino eius partes copulantur.

SCHOLIVM.

Sicut in demonstrandis quantis discretis vsus est definitione Quanti discreti, sic nunc quanta continua demonstrat per definitionem continui. vbicunque secetur linea, partes communi puncto copulantur. nam lineæ terminantur punctis, sic superficies terminatur lineis, quibus partes superficiei copulantur, & corpus habet extrema superficiei, qbus terminatur. hæc nota erãt pueris exercitatis in Mathematicis: qui didicerant in linea longitudinem tantum considerare, in superficie latitudinem tantum, in corpore trinam tantum dimensionem sine vlla materia.

Tempus etiam, & locus.

Eodem modo demonstrat hæc duo esse in quantis continuis per definitionẽ continui. videtur enim tempus diuidi in præteritum, & futurum, quæ tanquam puncto nunc, termino copulentur. locus sine corpore intelligi non potest. corpus enim omne est in loco, & locus id extremum dicitur, quod corpus ambit, ita coniunctum cum extremo corpore, vt loci, & corporis partes eadem continuatione coniungantur, & eodem communi termino copulentur.

Præ-

Prçterea fic diuifum eft Quantum, vt alia quanta ex iis conftent partibus, quæ ita locum habent in ipfis totis, vt fe mutuo contingant, alia ex his non conftent partibus ita locum habentibus: fic partes quidem lineæ locum habent inter fe coniunctæ. vnaquæque enim pars fita eft in loco, vt pofsis notare, & oftendere vbi fitá fit vnaquçque in plana figura, & ad quam partem reliquarum adiungatur. fic & partes planæ figuræ locum habent aliquem. fimiliter enim oftendi poteft, vbi vnaquæque fita eft, & quæ partes cum quibus cohçrent. fic fe res habet etiam de partibus folidi, & loci. At in numero minime poffit aliquis oftendere partes eius inter fe coniunctas locum aliquem habere, aut alicubi fitas efse, aut quæ inter fe partes copulantur, nec item in partibus temporis. nulla enim temporis pars aliquando confiftit quod verò non confiftit, id quomodo locum habeat alique m ordinem potius aliquem dixeris id habere: quoniam temporis pars alia prior fit alia pofterior. & fimilis ratio eft etiã in numero, quod prius numeretur vnum quam duo, & duo quam tria. Atque ita ordinẽ quendam habeant, locum, vbi fita fint non admodum fane compræhendas. fic eft, & oratio. nulla enim partium ipfius confiftit, fed & iam prolata eft nec poteft oftendi. quare nullus earum

locus

locus fuerit: quandoquidem fluunt,nec consistunt. Alia igitur Quanta ex ijs partibus cõstant, quorum locus ostendi potest, alia ex huiusmodi non constant partibus.

SCHOLIVM.

Declaratio alterius diuisionis, quam putamus esse nouam,& inuentam ab Aristotele, qui vt in physicis doctrinam de tempore subtilius, quàm veteres philosophi exposuit,& attulit definitionem nouam, dicens, Tempus motionis numerum esse secundum prius, & posterius, sic nunc pręter veterem,& vsitatam diuisionem, per quam ponitur tempus cum continuis, attulit alterã diuisionem, per quam tempus numeratur cum quantis discretis. nisi.n. id fecisset, non recte sumpsisset in definitione temporis numerum pro genere ex coordinatione contraria.

In ipsis totis.

Addidimus, Totis, ad declarandam vim illius verbi, in ipsis, vt se mutuo contingant. sic expono, quod est Grace πρὸς ἄλληλα, pertinet.n. ad coniunctionem part.ũ, vt ipse declarat, sicut exponit habere thesim, habere locum & situm eße in loco, quod est sub aspectum oculorum cadere, & posse monstrari digito, vbi sit.

De partibus solidi,& loci.

Locus non intelligitur sine solido, idest corpore, quod ambit.

At in numero.

Numerus nec cadit sub sensum, nec percipitur sensu, sed animo. ob id & solus homo numerat.

Nec item in partibus temporis.

Tempus fluit semper, nec unquã consistit, & qđ dicitur

nunc, siquis velit ostendere, iam fluxerit, & definitio Aristotelis mirabiliter indicat temporis naturam, quæ sicut numerus, est res intelligibilis non sensibilis. Sic est & oratio.

Oratio quoque, dum pronuntiatur, fluit, immo volat, inquit poeta, irreuocabile verbum. habent igitur partes numerus, & oratio non solum aperte discretas, sed quæ vt in loco sita monstrari non possint. numerus enim non cadit sub sensum, & oratio pronuntiata fluit, tempus autem perpetuo fluit, nec vllo momento consistit.

Alia igitur quanta ex ijs partibus constant.

Videtur velle innuere hac repetitione, & hanc diuisionem non inepte quantorum naturam indicare.

Proprie vero quãta dicuntur hæc, quæ enumerata sunt, alia omnia per accidens. ad hęc enim respicientes & alia quanta dicimus, veluti multum albũ dicimus, quòd superficies multa sit alba, & actio longa est, quod multo tempore perfecta sit, sic est & motio multa. non. n. per se horum vnumquodq. dicitur quantum, vt siquis definire velit quanta sit actio, tempore definiet, puta annuam, aut aliter hoc modo prorsus definiens. album item si definiat, superficie definiet. quanta enim superficies fuerit, album quoque tantum esse dixerit. Quare quæ dicta sunt, sola proprie appellantur quanta: aliorum nihil ipsum per se, sed duntaxat per accidens.

SCHOLIVM.

Hęc proprie pertinent ad hanc secundam Categoriã

&

& proprie Quanta sunt, quorum naturam indicauit, & distinxit per superiores geminas huius generis diui siones: quarum altera vtuntur scholę, altera est accommodatior doctrinæ Aristotelicæ de tempore.

Quanto prętcrea nihil est contrarium: nam quæ naturam præferūt finitam, & certam, his quantis perspicuum est nihil esse contrarium, veluti mensuræ bicubitali, & tricubitali, aut su perficiei, aut alicui eius generis. nullum enim hæc habent contrarium. nisi quis forte asserat multum pauco esse contrarium, aut magnum paruo. verum horum nullum est Quantum, sed in ijs hæc ponenda; quæ referuntur ad aliquid, nihil enim ipsum per se magnum dicitur aut paruum, sed collatum cum alio. sic Mons paruus dicitur, Milium vero magnum, quoniam illis maiora vel minora sint, quæ sunt eiusdem generis. fit igitur cum alio comparatio, quoniam si per se paruum aut magnum diceretur, Mons non diceretur vnquam paruus, aut Milium magnum. Rursus in pago mul tos esse homines dicimus, Athenis vero paucos, tametsi multo plures sint, & in domo mul tos esse, in Theatro paucos, tametsi multo plu res sint illis. insuper bicubitale, & tricubitale, & quælibet eius generis id significant, quod quantum est, id quod non significat magnum aut paruum, sed magis quod refertur ad ali-

quid.id.n.quod significat magnum,aut paruũ, spectatur in relatione ad aliud.itaq; manifestũ est ipsa in his esse, quæ referuntur ad aliquid.

SCHOLIVM.

Quanto præterea nihil est contrarium.

Hoc tetigit in superiore Categoria, tetigit & quæstionem de magno & paruo,multo & pauco,quam hic fusius,& accuratius dissoluit.

Verum horum nullum est quantum.

In hac disputatione primo loco ponitur Enstasis,& negatur verum esse,quod obijcitur,hæc esse Quanta, cum nec sint, nec significent quid terminatum, & finitum, quod possit accipi per se, sed aliud spectent, cum quo fit comparatio. itaque ipsorum natura,& significatio refertur ad aliud, sine quo intelligi non potest. arguit autem separatim a natura,quam dicit cerni in relatione, sine qua intelligi non potest, tum separatim a significatione, quæ similiter posita est in eo, vt conferatur cum alio,id quod dicitur magnum vel paruum, multum vel paucum.

Præterea siue qs eiusmodi ponat esse quanta, siue non ponat, nullum in ipsis est alteri ɔ̃rium. quod.n.ipsum per se accipi non põt, sed ad aliud refertur, quomodo ei statuetur quicquam contrarium? deinde si sint Magnũ & Paruum contraria,continget,vt idem simul contraria suscipiat,atq. vt eadem sibi ipsis sint ɔ̃ria. nam contingit ut idem simul sit magnũ & paruum, nẽpe cum hoc collatum,ut sit paruum:cum alio,vt sit magnum. itaq. idẽ eodẽ

tpe

tpe magnum & paruum esse contingit, & sic ꝯtria suscipere, cum nihil uideatur simul ꝯtria suscipere. Nam in substantia, quæ apta facta uidetur ad suscipienda ꝯtria, nemo simul ægrotat, & ualet, neque simul albus & niger est. sic in cæteris nihil prorsus simul ꝯtraria suscipit. cōtingit etiam, ut eadem sibi ipsis sint ꝯtraria. nam si est magnum paruo ꝯtrarium, & idem simul est magnum & paruum, idem etiā sibi ipsi fuerit ꝯtrarium, sed hoc ex his, quæ fieri nequeūt, ut idem sit sibi ipsi ꝯtrarium. non est ergo magnū paruo ꝯtrium, neq. multū pauco. Quare tametsi qs hæc neget referri ad aliqd, sed asserat esse Quanta, nullū habebunt ꝯtriū.

SCHOLIVM.

Præterea siue quis eiusmodi ponat esse quanta.

Hæc est altera refellendi ratio, quam diximus vocari Antiparastasin, cū demōstramus, quod obijcitur, doctrinæ nihil obesse nostrę. demonstrat igitur hæc non esse contraria. & ratio demonstrandi est aptissima docenti, cui facile discentes assentiantur: qua sæpe vtūtur etiā doctrinæ Mathematicę. vocant scholę demonstrationē obliquā deducentē ad impossibile, & quod fieri nequit. nam si paruo sit magnum contrarium, & multū pauco, ostendit absurda duo sequi, alterum vt idem simul suscipiat contraria, alterum ut idem sibiipsi sit contrarium.

Quod enim ipsum per se accipi non potest.

Antequam ostēdat quę sequuntur absurdā, pmittit hāc rationem apertam de natura cōtrariorum, sicut est bonum & malum, quę per se accepta considerantur. hæc vero de quibus est disputatio, non possunt per se accipi.

Maxime vero ex his, quæ quanta sunt, contrariaria existere videntur in loco, nam locum superne, quod cęlum vocant, loco inferne contrarium posuerunt regionem, quæ medium obtinet, idest terram locum inferne appellantes: propterea quod longissimum sit Medij interuallum ad Mundi extrema. videntur autem & aliorum contrariorum definitionem ab his accepisse: siquidem quæ plurimum inter se distant in eodem genere, ea definiunt esse contraria. Sed quod quantum est, non videtur id admittere, vt dicatur magis aut minus quantum, ueluti quod est bicubitale, alio bicubitali non dicitur magis aut minus bicubitale, sic in numero tria non sunt magis numerus, quàm quinque, nec quinque magis quàm tria. nec tempus alio tēpore magis tempus dicitur. nec vllum prorsus eorum, quæ dicta sunt quanta, magis aut minus quantum dicitur. Itaque etiā Quantum non admittit, vt dicatur magis, aut minus quantum. Verum maxime proprium est Quanti, ut ęquale dicatur, et inęquale. nam vnumquodque eorum, quæ in quantis numerata sunt, æquale, & inæquale dicitur, ut corpus ęquale, & inæquale dicitur, & numerus, & tempus æquale, & inæquale dicitur. sic est de aliis singulis, ut unumquodque dicatur æquale, & inæquale, id quod de nullo reliquorum omniū

quę

quæ non ſunt quanta, non magnopere uidetur afferi poſſe,ut ſit,quod æquale,& inæquale dicatur, veluti affectio æqualis, & inæqualis haud magnopere dicitur, ſed magis ſimilis, & diſsimilis. ſic album æquale, & inæquale non admodum,ſed ſimile & diſsimile. Quare maxi me proprium eſt Quanti, ut æquale,& inæquale dicatur.

SCHOLIVM.

Maxime vero.

Hæc de re etiam infra ubi de motu circa finem. ſic res poſita eſt à ueteribus. nec hic eſt locus ſubtilius hæc diſcutiendi. ſatis eſt indicaſſe ex ueterum ſententia ſic uideri. de contrarijs ſuo loco dicetur. quę autem non ſunt coutraria,ea non ferè admittunt,ut dicantur magis & minus, ſicut antea dictum eſt de ſubſtantia.

Verum maxime proprium eſt Quanti.

Hoc enim proprio diſtinguitur à cæteris categorijs. nam cum mēſura una ſit res potiſſimũ, qua diſtinguuntur quanta, ex ipſa menſura fit,ut quanta ſint,& dicantur æqualia,& inæqualia.

Affectio.

Hęc pertinet ad Qualitatem. motibus autem uarijs afficitur animus, & quamuis dicamus aliam motionem eſſe alia grauiorem,& maioris ponderis,non tamen ſolemus dicere eſſe ęqualem, uel inęqualem alij motioni, ſed uel ſimilem uel diſſimilem: quod proprium eſt,ut uidebimus,eorum, quę ſunt Qualia.

DE HIS QVÆ SVNT Ad aliquid.

Ad aliquid esse eiusmodi nomina dicuntur, quæ id quod sunt, dicuntur esse aliorum, uel quomodocunq. aliter cum alio ꝯparari, ut maius, id quod est, alio maius esse dicitur, cũ aliquo maius dicatur, & duplum, id qđ est, alicuius duplũ dicitur. alicuius n. duplum dicitur, similiter & eiusmodi alia. sunt autẽ hæc quoq. eorum quæ sunt ad aliquid, nẽpe habitus, affectio, sensus, scientia, collocatio, quæ oĩa id qđ sunt, aliorum esse dicuntur. habitus. n. alicuius habitus esse dicit, & alia similiter. Ad aliquid igitur esse eiusmodi nomina dicuntur, quæ id quod sunt, dicunt esse aliorum, vel quomodocunq. aliter cum alio ꝯparari, veluti Mons magnus dicitur cum alio collatus monte. ob collationem. n. cum aliquo magnus dicit Mons. & simile alicui simile dicitur. & alia eiusmodi ad aliquid esse dicuntur. Sunt autem & accubatio, & statio, & sessio collocationes quædã: collocationes autẽ ex his sunt, quæ sunt ad aliquid: a quibus denominantur accumbere, stare, sedere. nam hęc non sunt theses, idest, collocationes, sed denoĩatione ab illis thesibus dñr.

SCHOLIVM.

De his, quę sunt ad aliquid. *Ratio docendi immutat interdum ordinẽ naturæ, quo ordine supra in enumerãdis his decem generibus Qualitas posita fuit tertio loco.*

nunc

tunc ante Qualitatem, doctrinā tradit eorū, quę referūtur ad aliquid. quoniam supra multa disputata sunt, quæ pertinent ad nominum relatiuorum naturam: vt non videatur recte differri posse eorum tractatio.

Ad aliquid esse eiusmodi nomina dicuntur.

Hæc fuit vetus, & vsitata noīum ad aliquid definitio, id qđ animaduertere licet ex illo potissimū Plat. loco, qui est in conuiuio, ubi sic scriptum est, Quid? Frater, id quod est, est ne frater alicuius? sic.n. definiebantur Relatiua. vt, id quod sunt, essent aliorum. id quod sunt, grçce ijsdē notantur verbis apud Plat. qbus hic apud Arist. quorum verborum sententia eadē est, ac si dicas, quorū noīum natura, & eßentia ea est. vt nihil aliud sit esse Relatiuum, & esse ad aliquid, nisi esse aliorum. hęc definitio ostendet in fine Arist. in quo peccet, & aliā afferet: ad quē locū ita deducit disputationē, vt qsq; possit intelligere ipsum inuitū facere, vt improbet, quòd vsus doctorum hoīum cōprobauerat. non.n. id, qđ facere potuißet, incipit a reprehendenda definitione, sed eam explicando ostendit, quę cadere uideantur sub hanc definitionem, donec ad id postremo perueniat, quod ferri minime poßit de quibusdam substantijs.

Vt maius, id quod est. *In Relatiuis, vt videbimus, talis proprie requiritur habitudo mutua, vt alterum sine altero intelligi nō poßit. maius & duplum, quibus primo loco definitionem conuenire ostendit, sunt eiusmodi.*

Sunt autem hæc quoque. *Hæc quæ secundo loco dicit cadere sub hanc definitionē, pertinent etiam ad qualitatē, & poßunt p se capi, & intelligi, qq̄ quędam etiā habitudo intus pōt considerari, sed de his cōmodi⁹ alio loco.*

Collocatio. *Diximus supra habere thesin esse habere locum, & in loco situ͂ esse. itaq; thesim sum interpretatus collocationem, ad quā paullò post dicit pertinere accu-*

ba-

bationem, stationem, sessionem, vnde denominātur accubare, stare, sedere, quæ ad situm esse, Categoriam pertinent. Sunt igitur per hanc definitionē etiam Thesis, idest collocatio, & eorum species ad aliquid.

Vel quomodocunque aliter.

Siue relatio habitudinis per alium casum, quam per genitiuum efferatur.

Quæ porro ad aliquid sunt, habent etiam contraria, ueluti virtus est contraria uitiositati. Et horum utrumque est ad aliquid, & scientia est contraria ignorantię. verum nō omnia, quæ sunt ad aliquid, habent contraria. nam duplo nihil est cōtrarium, neque triplo, nec alijs eiusmodi. sic & uidentur admittere relatiua, ut dicantur magis, & minus; nam simile & dissimile dicit͛ magis, & minus, & ęquale, & inæquale magis & minus. & hæc in his sūt, quæ sunt ad aliquid. Siquidem simile dicitur alicui simile, & dissimile alicui dissimile, & inęquale alicui inæquale. Sed sic nou dicitur in omnibus, quę sunt ad aliquid. duplum.n.non dicitur magis & minus duplum, nec vllum eorum, quæ sunt huius generis.

SCHOLIVM.

Multiplex noīum sylua, quæ cadit sub hanc definitionē, cum sint tam multa noīa non eiusdem naturę, facit, ut ipsorū alia habeant contraria, & dicātur magis, & minus talia: alia non habeant contraria, nec admittant magis, & minus.

Siquidem simile dicitur alicui simile.

Affert pro ratione cur hæc sint relatiua, partem postre-

stremam definitionis, Vel quomodocunque aliter, cum oppositum ad quod nomen refertur per alium casum quam per genitiuum effertur.

Omnia q̃ sunt ad aliquid ad oppositum dicuntur, quod cum ipsis mutuo regressu conuertitur. sic seruus Domini seruus & dominus serui Dñs dicitur, & duplum dimidij duplum, & dimidium dupli dimidium, & maius minore maius,& minus maiore minus. Similiter & in aliis nisi quod interdum locutio alium casum postulabit. veluti scientia q̃ dicitur rei scibilis scientia. scibile autem dicitur scientia scibile. & sensus dicitur rei sensilis sensus,at sensile dicitur sensu sensile. Verum enimuero non uidebitur interdum fieri regressus, nisi ad quod propriè oppositum refertur, idipsum assignetur,sed erret qui oppositum affert. veluti si afferatur ala esse alitis. non.n.cõuertitur vt ales sit ales ala.non.n.proprie primum allatum est dicendo Ala est Alitis. quoniam non quatenus Ales est,eatenus ala est alitis, sed quatenus alati est. sunt.n.& aliorum multorum alę, q̃ non sunt alites. quare si propriè oppositum afferatur,fit mutuus regressus,vt si dicatur ala est alati ala,& alatum est alatum ala.

SCHOLIVM

Omnia,quæ sunt ad aliquid.

Hęc reciprocatio cõuersionis est propria relatiuorũ omnium oppositorum. hic autem incipit vti exemplo,

quod

quod est substãtia, & hic docet facile errari posse in assignando opposito relatiue, ut in Ala si dicatur esse alitis, non fit recursus reciprocus, quoniam ales nõ est primum, & proprium oppositum relatiuum alæ, sed alatũ. & perget vti his exemplis, quæ sunt partes secundarũ substantiarum, quas ostendet cadere etiam ipsas sub hanc traditam à veteribus Relatiuorum definitionem. quòd quidem alia genera accidentium cadant sub hãc definitionem tolerabiliter ferri potest, sed de substantia, quę nullam habet cum accidente coniunctionem, minime ferendum videtur. verũ hac de re postea: interim hoc tantũ notandũ est, nempe Arist. artificiũ, dum illuc rem deducit, vbi ostendit in quo peccet hęc definitio.

Interdum verò etiam fortasse necesse sit fingere nomen nouum, si non existat nomen, ad quod proprie fiat relatio, veluti si clauus esse nauigii afferatur, non erit allatum nomen, ad quod proprie referatur clauus. non. n. propterea nauigium est, quia clauus sit ipsius, cũ sint & nauigia sine clauo. ob id non fit in his reciprocus recursus: nec ꝓpriè dicit̃ nauigium esse claui, vel clauo nauigium, sed fortasse magis ꝓprius recursus fuerit, si quis dixerit clauũ esse clauati clauum, aut quomodocunq; aliter. nomen. n. non est impositum, ac conuersionis quidem fit reciprocatio, si proprium sit allatũ. clauatum. n. clauo clauatũ est. similiter & in alijs, ut caput magis ꝓprie afferatur esse capitati caput, q̃ esse animalis caput. nõ. n, qđ animal sit, propterea caput habet, cũ animalia multa caput

put nõ habeant. ita verò facillime fortasse quis accipiat & fingat, quib⁹ nõ sunt imposita noīa, si a primis, ad quæ faciẽdus est recursus, formẽtur opposita relatiue, vt in his, q̃ antedicta sunt ab ala alatum, a clauo clauatum. oīa igitur, quę sunt ad aliquid, si ad proprium oppositum dicuntur, inter ipsa fit ꝯuersionis reciprocatio.

SCHOLIVM.

Quibus hic utitur exẽplis, sunt partes secundarũ substãtiarum, & ipsa necessitas fingendi noua noīa, & nõ cauta, quã mõstrat nouandi noīa, innuunt aliquid subesse in hac doctrina, qđ rectum non sit. nam hę difficultates oẽs cessabũt, cũ peccato hui⁹ definitionis indicato. afferetur altera melior definitio. sic verò interim disputat, quasi in hac doctrina nihil insit vitij ob reuerẽtia erga viros doctos, et quoniã doctrinã iã receptã inuitus improbat.

Nã si quodlibet aliud afferat, nõ id, ad qđ relatiue dr̃, non fit recursus ꝯuersionis. ac plane dico, neq. inter quę nulla est ꝯtrouersia, mutuũ fieri recursum, quoꝵ & noīa sunt in vsu, in his vllã fore reciprocã ꝯuersionẽ, si aliquid, qđ nomini relatiuo accidat, afferat̃, & nõ id, cui opponit̃ relatiue: exẽpli causa, si seruus nõ dñi seru⁹ esse dicat̃, sed hoīs, vel aīalis ambulãtis duob⁹ pedib⁹, aut alteri⁹ id gen⁹ nulla fit reci ꝓca ꝯuersio. nefas. n. est dicere homo est sui homo: qm̃ non ꝓprie dictũ est su⁹ est hoīs su⁹. Qđ si ablatũ sit id cui ꝓprie relatiue opponit̃, alijs oīb⁹ sublatis, q̃ ipsi accidũt, & eo solo relicto, ad qđ ꝓprie dicat̃, ꝓprie semp ad id dicet̃, vt su⁹ si ad

reciproca

alla

do·

dominum dicatur, sublatis aliis omnibus, quæcunque accidunt ei naturæ, quæ noïe Domini significatur, vt quòd ambulet duobus pedib⁹, quòd sit aptus ad percipiendam scientiam, quod sit homo. & eo solo relicto, quòd sit dominus, seruus semper ad ipsum relatus dicetur. seruus.n. domini seruus dicitur. quod si nomen sit allatum, nõ propriè ad ipsum relatum, sublatis aliis, eoq. solo relicto, quod non propriè ad ipsum refertur, non dicetur ad ipsum. sit n. allatum, vt seruus sit hominis seruus, & ala sit alitis ala, & auferatur ab homine, vt dominus sit, non amplius dicetur seruus domini seruus. si.n. dominus non sit, nec seruus est. Similiter de Alite, auferatur, ut ne amplius sit alatum, nec ala erit amplius eorum, q̃ referuntur ad aliquid. nisi.n. existat alatum, non erit ala alicuius. itaque oportet id afferre, ad quod ꝓprie refertur: ac si nomen sit in vsu, nulla est in afferendo difficultas: si non sit, fortasse necesse fuerit nouum fingere nomen. ac si ita afferantur nomina, manifestum est fore sem per conuersionem reciprocam inter opposita relatiua.

SCHOLIVM.

Nam si quodlibet aliud afferatur.

Prima cautio est, ne erretur in primo nomine afferẽdo. si enim hic erratum sit, non fiet recursus: deinde si non

non adsit nomen vsitatum, quod ferè contingere necesse est in partibus secundarum substantiarum, quarum hic exempla ponuntur, oportet formare nomen deductum à primo, vt ab ala alatum, a clauo clauatum, à capite capitatum. Est autem perdiligens in his explicandis cautionibus, ut intelligamus quam sit alienus ab aliorum doctrina reprehendenda, si aliquo pacto ferri possit.

Vt quòd ambulet duobus pedibus, quòd sit aptus ad percipiendam scientiam, quòd sit homo.

Hæc efferuntur eo casu, & eo modo, quo solet Aristoteles significare formam & naturam rei, vt sicut in Domino nihil aliud significatur, nisi natura relationis ad aliud, sic per has differentias, seu propria, & per hominem significet res perficientes naturam hominis, quæ formæ substantiales plurimum distant à forma accidentali, quæ significatur per Dominum. cuius Domini has formas substantiales vocat accidentia. quicquid.n. attribuitur Domino, præter id, quo eius natura continetur, rectè dicitur ipsi accidere.

Videntur autem, quæ ad aliquid sunt, simul esse natura: atque hoc in plerisque verum est. simul.n.est & duplum & dimidium: & si dimidium sit, est & duplum. & si dominus sit, seruus est: & si seruus sit, dominus est; ad hũc modum sunt & alia. & simul se inuicem hæc perimunt. nam si non sit duplum, non erit dimidium, & dimidium si non sit, nõ erit duplum. sic est de aliis eiusmodi. Sed nõ de omnibus, quæ sunt ad aliquid, esse id verum uidetur, ut sint simul natura. Scibile.n. uideri potest prius

esse

esse,& tempore antecedere scientiam. nam ferè ex rebus,quę tempore antecedunt, scientias haurimus, atque in paucis, vel potius in nullo, quis viderit simul cum re scibili scientiam ortam esse.

SCHOLIVM.

Simul esse natura.

Videbimus infra loco suo quid sit simul esse natura, quæ hic vsurpatur significatio, est aperta, cum ex duobus (relatiue enim opposita oportet esse duo) neutrum tempore antecesßit alterum. sic est pater,& filius. sic est dominus,& seruus,duplum & dimidium. sic supra relatiue opponi ostendit Alam, & Alatum, clauum & clauatum,caput & capitatum, quod se inuicem statuerent,& perimerent.& sicut reciproca conuersio comprehendit omnia relatiue opposita, sic ferè etiam simul esse natura. Fallit tamen,sicut ostendit in quibusdam, sicut est scientia,& scibile. res enim,quarum est scientia,antecedunt tempore scientias.

Atque in paucis, uel potius in nullo quis uiderit simul cū re scibili scientiam ortam esse.

Interpretantur hęc verba de Artibus, & effectis ab Arte,quæ simul extitiße oportet. sed illa verba in paucis,& quod sequitur,vel potius in nullo,prorsus repudiant hanc interpretationem. Artes.n.& artificio confecta,quæ sunt inuenta hominum,non sunt paucæ:& illud, In nullo, quomodo potest accommodari huic interpretationi? quid? cum sit instituta disputatio de scientia,& scibili,quì poßunt hæc verba,quę sunt confirmatio antecedentis sententię,intelligi de effectis ab arte, a quibus res,quæ natura constant,plurimum differunt? itaque est animaduertenda consuetudo, & prudentia

Arist.

Arist. in docendo, & disputando. sunt.n. ipsi familiaria uerba, uidetur, ut plurimum, ferè. quæ ornant modestiã peripateticam. & nunc igitur sic locutus est, Nam fere ex rebus, dicit, fere, quoniam non est hic locus hac subtilius disputãdi, & loquitur cum Auditore, qui non attigit scientias de rebus. &, uiderit, uerbum pertinet ad sensum, siquis ergo percurrat oculo ipsas scientias, uiderit in paucis, uel potius in nullo simul cum re scientiam ortam esse.

Præterea scibile quidem peremptum simul perimit & scientiam, at scientia non simul perimit scibile. nam si non sit scibile, non erit scientia, & nullius prorsus erit scientia. si verò scientia non sit, nihil prohibet quin scibile sit: sicut & circuli quadratio, si modo res est scibilis, eius scientia nondum est inuenta, res tamen est scibilis. Insuper animali quidem perempto non erit scientia, multæ tamen res scibiles superetunt. sic se res habet etiam de sensu. nam res sensilis prius esse q̃. sensus videtur. siquidem sensibile peremptum simul perimit sensum. sensus non simul perimit res sensiles. corpus.n. circumplectitur sensus, qui sunt in corpore. & re sensili perempta perimitur, & corpus, quod numeratur in rebus sensilibus. qđ si non sit corpus, perimitur & sensus. quare simul perimit res sensibilis sensum. sensus nõ simul perimit rem sensilem. animali.n. peremPto sensus quidem perimitur, res sensilis non perimitur, sed adhuc erit corpus sensile, veluti

calidum, dulce, amarum, & alia omnia quæcunque sensu percipi possunt. Insuper sensus cum eo, quod aptum natū est vti sensibus, gignitur. nam simul cum animali gignitur sensus. res autem sensilis est antequā animal sit, aut sensus. ignis.n.& aqua,& eiusmodi,ex quibus animal constat, sunt antequam omnino sit animal, aut sensus. quare ante sensum videri potest res sensilis esse.

SCHOLIVM.

Preterea scibile quidem peremptum.

Et hac ratio aperte probat rem scibilem,& scientiam non esse simul natura, cum possit esse alterum sine altero. nam si non sit scientia, nihil tamen vetat quin sint multa scibilia.

Circuli quadratio.

Exemplum notum discipulis exercitatis in disciplinis mathematicis. multi autem conati erant circulum quadrare afferendo eius rei demonstrationes, vt Hippocrates, Brison, Antipho, quorum mentionem facit Aristoteles: sed nemo id demonstratione solida effecerat.

Sic se res habet etiam de sensu.

Sensus & res sensilis similiter atque scientia & res scibilis demonstrantur, eodem modo non esse simul natura, sed rem sensilē esse ante sensum. atque hęc disputatio confirmat etiam superiorem demonstrationem de scibili & scientia, quæ ortum habet a sensibus, qui si non sint, nulla erit scientia.

Verum illud affert dubitationem, vtrū nulla substantia dicatur esse eorum, quæ sunt ad aliquid, sicut ratio videtur postulare, an id cōtingat in quibusdam secundis substantijs. nam

in

in primis substantijs verum est, nec ipsam totã, nec eorum partes dici ad aliquid referri. aliquis.n.homo non dicitur alicuius aliquis homo, nec aliquis bos alicuius aliquis bos. sic est de partibus. aliqua.n.manus non dicitur alicuius aliqua manus, sed alicuius manus. & aliqđ caput non dicitur alicuius aliquod caput, sed alicuius caput. eodẽ modo etiam est in secundis substantiis, nempe in plerisque, vt homo alicuius homo non dicit̃, nec bos alicuius bos, nec lignum alicuius lignum, sed alicuius res & possessio dicitur. atq. hæc talia perspicuũ est non esse ad aliquid, sed de aliquibus secundis substantiis res habet dubitationẽ. nam caput dicitur alicuius caput, & manus alicuius dicit̃ manus, & sic est de singulis, quæ sunt eiusmodi. quare videri possunt hæc esse ad aliquid.

SCHOLIVM.

Vltimo loco vt solet, & ratio docẽdi postulare videtur, proposuit dubitationẽ, an sub hanc definitionem cadat aliqua substantia. & declarat in primis substantijs nec tota, nec partes ad hãc definitionẽ pertinere: in secũdis substãtijs ipsa tota, id est species & genera, vt homo, bos animal, lignum excludi ab hac definitione, sed dubium videri de partibus ipsarum. manus, pes, caput, id quod sunt & per se non aliena ope, sunt aliorum.

Sicut ratio videtur postulare:

Non .n. videtur ferendum, vt aliqua substaantia sit sub aliquo accidẽte, sicut videtur ferri posse, vt aliquod accidens sit sub varijs generibus accidentium.

Sed alicuius manus.

Sic verò non est alicuius per se, sed per speciem.

Et sic de singulis, quæ sunt eiusmodi.

Sunt autem partes secundarum substantiarum.

Si igitur, id quod satis est, habet hæc tradita definitio nominum, quę sunt ad aliquid, aut res est admodum difficilis, aut nullo pacto licet ostendere nullam substantiam dici esse ad aliquid. sin minime habet quod satis est, & ad aliquid ea sunt, quorum essentia idem hoc est, quod referri ad aliquid, fortasse dici poterit aliquid aduersus hæc. Prior definitio consequēter quidem accommodatur omnibus, quæ sunt ad aliquid: non tamen idem est ipsis esse ad aliquid, id quod sunt ipsa, aliorum dici.

SCHOLIVM.

Si igitur.

Tandem non dubitari posse, sed perdifficile esse dicit, vel potius fieri non posse, vt nulla substantia sit ad aliquid, si nullum sit peccatum, & nihil desit in hac definitione.

Sin minime habet quod satis est.

Quod si deest aliquid huic definitioni, & conceditur nobis, vt tentemus aliquid melius afferre, sic dicemus, Ad aliquid ea sunt, quorum natura idem hoc ipsum est, ac referri ad aliquid. Ad aliquid, est illud quod definitur, in quibus duobus verbis significatur natura, quæ per se capi non potest: & vox, aliquid, oppositum certum indicat, ad quod respicit. Verba definitionis, quorum natura idem hoc ipsum est, significant, vt ita dicam, identitatem definitionis, & definiti. nam si proprie, & expresse

preſſe interpreteris quid ſignificet hoc verbum, ad aliquid, significat idem quod referri ad aliquid.

Prior definitio *Indicat in quo peccet definitio vetus. verum quidem eſt, quæ ſunt ad aliquid eſſe aliquorum, ſed non conuertitur, quæ ſint aliquorum, omnia ſint ad aliquid. ita latius patet definitio, quàm definitum, nec propriè explicat quid nomen ſignificet.*

Ex his porro manifeſtum eſt, ſiquis definite & certo nouerit quippiam eſſe ad aliquid, illud quoque cogniturum definite ad quod dicitur. atque hoc, & ex his ipſis clarum eſt: ſiquis.n. nouit hoc aliquid eſſe eorum, quę sũt ad aliquid, (eſt autem eſſe ad aliquid idem quod referri ad aliquid) illud quoque nouerit oportet, ad quod refertur. nam ſi non nouit omnino ad quod hoc refertur, nec ſi referatur ad aliquid, nouerit. & ea res etiam fit perſpicua, ſi nomina ad aliquid applicentur ad certam quampiam rem: vt hanc aliquam rem ſi quis certo nouit eſſe duplam, & cuius rei dupla ſit, certo & definite nouit. nam ſi nullius certæ & definitæ rei duplam eſſe nouit, ne ſi dupla quidem ſit is plane nouit. eodem modo ſi nouit hanc rem aliquam eſſe meliorem, definite ſtatim nouerit, oportet etiam qua re ſit melior. nec indiſtincte eam rem nouerit eſſe deteriore meliorem: talis.n. notitia ſuſpicio quædam eſt, nõ ſcientia. non.n. fuerit hæc exacta & certa notitia, rem aliquam eſſe deterio-

re meliorem. nam fieri potest, vt nihil sit, illa deterius. Quare perspicuum est, quod quis definite nouit eorum esse, quæ sunt ad aliquid, ei cognitum esse definite oportere illud etiam ad quod dicitur. at vero caput, & manus, & eius generis singula, quæ sunt substantię, id quidẽ quod sunt definite, licet cognoscere, illud vero cognoscere ad quod dicuntur minime necesse est. cuius. n. sit hoc caput, & cuius sit hæc manus non licet cognoscere definite. itaq; hęc minime fuerint eorũ, quę sunt ad aliquid. quod si non sunt hæc ad aliquid, verum vtiq; fuerit nullam esse substantiã eorum, quę sunt ad aliquid. sed est difficile fortasse de ijs etiam asseuaranter affirmare, qui non crebra commentatione rem expenderit. de singulis tamen dubitasse non est inutile.

SCHOLIVM.

Ex his porro manifestum.

Ex his nempe, quæ sunt in hac à nobis allata definitione ipsam antea exposuimus, & diximus proprium eorum, quę sunt ad aliquid esse habitudinem, & relationẽ ad aliquid, qđ notũ esse oportet, & definite notũ eſse oportet. dictio. n. aliqđ ĩnuit oppositũ certũ, et definitũ. hoc modo fit, vt relatiuũ nõ possit cognosci sine cognitione alteri' oppositi relatiui. & hac est vera ꝓprietas, quæ distinguit hanc Categoriam à cęteris Categorijs,

Atque hoc, & ex ipsis clarum est.

Prima ratio huius perspicuitatis sumpta à definitione, quam affert pro comprobanda ea re.

Et

Et ea res etiam fit perſpicua.

Ratio altera ad rem eandem comprobandam. cum duplo accipe, verbi gratia, duplum aliquod tempus, duplam aliquam pecuniam, ſi noſti pecuniam hanc eſſe duplam, ſimul noſti etiam cuius alterius dimidiata pecuniæ ſit dupla.

Talis enim notitia ſuſpicio quædam eſt, non ſcientia.

Hypolepſis apud Latinos eſt ſuſpicio, & opinio, quæ eſt infirma quædam notitia, & quæ poteſt eſſe falſa. Per ſcientiam autem ſignificatur certa notitia, & quæ non poteſt eſſe falſa.

Quare perſpicuum eſt.

Ex allatis rationibus infert more ſuo propoſitæ doctrinæ concluſionem.

At vero caput, & manus.

Per hanc ergo definitionem, cuius vis expoſita eſt, excluduntur partes ſecundarum ſubſtantiarum, vt ne ſint ad aliquid, quemadmodum erant per alteram veterũ definitionem. Supra verò oſtenſum eſt, nec primas, nec ſecundas ſubſtantias fuiſſe ad aliquid, nec etiam per illam ſuperiorem definitionem.

Non licet cognoſcere definire.

Si liceret cognoſcere definite cuius ſint caput, & manus, fierent partes primarum ſubſtantiarum, quas ſupra oſtendit, cur non ſint ad aliquid.

Sed eſt difficile fortaſſe.

Hoc quoque pertinet ad verecundiam, & reuerentiam virorum doctorum, aduerſus quos diſputare haud leuiter moueri oportet.

DE QVALI ET QVALITATE.

Qualitatem dico, per quam tales aliqui dicuntur. Qualitas aūt late patet, & res plures complectitur. itaq. species vna Qualitatis vocetur Habitus, & Affectio. differt habitus ab affectione, quoniam habitus est qualitas diuturnior, & firmior: cuiusmodi sunt scientiæ, & virtutes. si quidem scientia videtur esse qualitas firmiter inhærens, & longo tempore perseuerans, siquis vel mediocri tpe scientiam perceperit, nisi vi morbi, aut alius cuiuspiam calamitatis eiusmodi magna sit effecta mutatio. talis est & virtus, veluti Iustitia, & temperātia, & vnumquodq. talium videtur nec moueri, nec mutari facile posse. affectiones verò dicuntur, quæ facilè moueri, & citò mutari possunt, sicut caliditas, & refrigeratio, & morbus, & sanitas, & alia eiusmodi. ab his.n. inuritur homini affectio quædam, qui homo facile mutatur ex calido frigidus factus, & ex bona valetudine incidens in morbum. & in alijs similiter. nisi aliqua etiam affectio eiusmodi temporis longinquitate iam sit, quasi effecta naturalis, & immobilis, aut quę prorsus difficillime posit mutari. quam iam aliquis fortasse habitum appellauerit. ac profectò manifestum est solere habitus dici, quæ diuturniora sunt, nec facilè mutari possunt. nam qui in scientiis nō magnopere aliquid tenent, & ab eo dimoueri

facilè possunt, eos non dicunt esse præditos habitu, tametsi affectione quadam sint imbuti, siue deterius, siue melius in aliqua scientia, doctrina sint, vt ita dicam, aspersi. differt igitur habitus ab affectione, quod hæc sit res facilè mobilis, ille sit diuturnior, & qui difficilius mutari posit. Sunt autem habitus etiam affectiones, sed affectiones non sunt habitus necessariò. qui.n. est præditus habitu, etiam affectus esse dicitur ea re, cuius habitum tenet, nõ contra, qui affectione rei sunt imbuti, etiam eius rei habitum tenent.

SCHOLIVM

Qualitatem dico, per quam tales aliqui dicuntur.

Verbum, Dico, indicat hanc definitionem accommodatam susceptæ tractationi ipsius Aristotelis esse, qui etiã propter hanc doctrinam posuit in principijs prçcognoscendis definitionem Denominatiuorum. est ergo Qualitas, a qua denominamur tales, vt a grãmatica, grammaticus, a fortitudine fortis.

Qualitas autem latè patet.

Multipliciter dici, quod respondet ad verbum verbis græcis, vsurpatur ferè ab Arist. ad indicandam homonymiam alicuius dictionis, quo sensu hic nõ accipitur. sed Aristoteles hoc modo significare voluit hanc Categoriam secari in multas species, & rerum multarum copiam complecti.

Vocetur habitus, & affectio.

Orditur ab his, quæ accidunt Animis, & quibus afficitur animus. existimamus autem hanc generum, quæ ad Qualitatem pertinent, distributionem Aristotelis esse & nouam doctrinam, & verbum, dicatur, indicat Aristo-

stotelem his nominibus consignasse hanc primam speciem, non quod ipse fuerit inuentor, & auctor horum nominum, quæ interpretamur per habitum, & affectionẽ: Sed quod ipse primus sic uocauerit hanc speciem. vim autem, & discrimen horum nominum ipse tradit, vult enim habitum esse qualitatem penitus inhærentem, & infixam in animo, cuiusmodi sunt virtutes, & scientiæ, quibus animus ornatur, & perficitur. quæ si non ita inhæreant in animo, sed ipsis sit leuiter aspersus, & imbutus, talis aspersio nõ vocatur habitus, sed affectio.

Siquis vel mediocri tempore scientiam perceperit.

Sic sunt perspicaciora ingenia, quæ celerius percipiũt rerum cognitionem. non est ita de habitu virtutis, qui non perficitur, nisi longi temporis vsu, & exercitatione.

Sicut caliditas, & refrigeratio.

Rerum, quę pertinent ad corpus, exemplis vtitur, vt notioribus. innuit tamen hac vocabula, Habitus, & affectionis, quæ propria sunt animi, posse transferri ad qualitates etiam corporis, & morbum diuturnum, in naturam affecti corporis conuersum habitum appellari posse.

Solere habitus dici.

Hanc vim, & discrimen inter habitum, & affectionem comprobat ex vsu etiam loquentium,

Alterum genus Qualitatis est, per quod alios viribus, ad dimicandum pugnis, alios velocitate ad cursum valere dicimus, aut esse maxime firma valetudine, aut valetudinarios, atque vniuerse quæcunque sic dicuntur ex firma vel infirma, & imbecilla corporis naturali cõstitutione. nõ.n. ex suscepta affectione eorũ vnumquodq. dicitur, sed ex vi a natura corpori inge

ni-

nita, vt aliquid hoĩes agere facile possint, vel to lerare & nihil pati, q̃uo qui ita nati sunt, vt viribus ad dimicãdum pugnis valeant, aut velocitate ad cursum, nõ quod ab exercitatione sic affecti sint, sed a natura uim ingenitã habeant ad aliquid facile agendũ. & esse firma valetudine aliqui dicuntur, propterea quòd eam vim habeãt a natura, vt nihil facile patiãtur ab ijs, ob quæ alij in morbos incidunt: Valetudinarii vero dicũtur ob ingenitam imbecillitatem patiendi, & tolerandi quæcũque nocere possunt. similẽ his vim habent & durum & molle nam durũ dicitur, quod eam a natura uim habeat, ut non facile secari possit. molle uero qđ imbecille natura factũ sit ad resistendũ, ut ne secet.

S C H O L I V M.

Alterum genus qualitatis est per quod.

Non est hoc genus consignatũ noĩe proprio, vt superius per habitum & affectionẽ: sed per nomina denominata a qualitate, quę caret noĩe. nam pyctici, palęstrici, dromici, non accipiuntur in hoc genere pro illis, qui a magistro exercitati sunt ad dimicandũ cęstibus, ad luctandũ, ad currendũ, sed pro his, qui apti facti sunt a natura ab ipso ortu ex naturali corporis constitutione ad hęc obeunda. talis aũt vis ingenita corpori ad aliquid agendũ facile, vel imbecillitas ad patiendũ, vel non tolerandũ aliquid nomen non habẽt. noĩa tamen græca illa usurpantur etiam in hac significatione, quę ad vim, uel imbecillitatẽ ingenitã corpori, & ad interius temperamentũ pertinent: quibus nominibus non habemus quæ respondeant latina nomina, nisi forte nomen valetudinarij.

Non

Non.n.ex suscepta affectione.

Suscepta videlicet per exercitationem. nam denominantur tunc vnumquodq. a sua scientia, vt pyctici a pyctica, dromici a dromica scientia.

Similem his vim habent & durum, & molle.

Sicut significauit in superiori genere habitum, & affectionem, quę propria sunt animi, posse etiam transferri ad corpus, sic nunc hęc duo, quae sunt in ~~anima~~, ostendit posse numerari in hoc genere.

corpore

Tertium Qualitatis genus sunt Qualitates passiuę, & perpessiones, cuiusmodi sunt dulcedo, & amaritudo, & austeritas, & oīa his cognata, tum etiam caliditas, & frigiditas, & albedo, & nigredo. atq. has quidem esse qualitates manifestum est. nam quæ suscipiunt eas qualitates, talia per ipsas dicuntur. vt mel per susceptam dulcedinē dicitur dulce, & per alborem susceptum corpus album dicitur. sic & de alijs. dicūtur aūt qualitates passiuæ, nō qm̄ quæ ipsas suscepere, sint aliquid passa. neq;.n. mel quod aliquid passum sit, dulce dicitur. nec aliud vllum ex iis. ac perinde, vt hæ etiam caliditas, & frigiditas passiuæ qualitates dicuntur, non quoniam quę ipsas suscepere, sint aliquid passa, sed quod vnaquæq. dictarum qualitatum, in sensibus commotionis sit effectrix, propterea passiuæ qualitates dicūtur. nam dulcedo motionem quandam in gustatu ingenerat, & caliditas in tactu. sic & alię. verum albedo, & nigredo, & alii colores nō eadē ratione,

qua

qua iam dictæ qualitates, dicũtur passiuæ qualitates, sed quoniam ipsę ab aliqua cõmotione gignuntur. ac gigni quidem multas colorum mutationes ex motione, & perturbatione manifestum est. sic.n.effectus est in aliquo ex pudore rubor, & ex metu pallor. sic in singulis eiusmodi. itaq. si quis etiam a natura perturbationem aliquã eiusmodi sit passus ex cõtingentibus caussis naturalibus, par est hũc habere similem perturbationi colorem, nempe vt naturaliter vel palleat, vel rubeo, vel fusco sit colore. nam quæ nũc ex rubore affectio in corpore extitit, in naturalis quoq. temperamenti constitutione eadem extiterit affectio, vt naturaliter similis etiam in corpore gigneretur color. in his igitur, quæ naturaliter contingunt, quæcunq. profecta sunt a motionibus non facile mutabilibus, & permanentibus, passiuæ qualitates dicuntur. in naturali n.constitutione siue palliditas, siue nigredo sit, qualitas dicitur nimirum, per quam tales dicimur; siue propter diuturnum morbũ, aut æstus feruorẽ eędem qualitates contingant, nec facilè abscedant, & vitam comitentur, hę quoque passiuæ qualitates dicuntur, per quas similiter tales dicimur. sed quæ fiunt ab his, quæ facilè dissoluunt, & celeriter abscedunt πάθη, i. motus quidã, siue perpessiones dicuntur: non dicuntur qualitates: quoniam per has perpessiones non

dici-

dicimur tales. qui.n.erubuit ob pudorem non dicitur rubicundus, nec qui expalluit ob metũ dicitur pallidus, sed potius dicitur aliquid passus esse. quare quæ sunt eiusmodi, uocentur perpessiones & cõmotiones quædam, qualitates minime dicuntur. His similes etiam in animo passiuæ qualitates, & perpessiones dicuntur: quæcunque uidelicet a motionibus non facile mutabilibus extiterunt, hæ dicuntur qualitates passiuę, ut insania abalienans a recto statu mentis: & iracundia ingenita, & alia eiusmodi. nam tales dicuntur per ipsas, nempe insani & iracundi. similiter & quæcunq. aliæ abalienationes a recto mẽtis statu non naturales quæ perdifficile curari possint. & per accidẽs a caussis aliquibus aliis motionũ profectæ prorsus immutabiles qualitates dicuntur istę quoque, quando & per has tales dicuntur. quęcunque uero fiunt ab his, quæ facile & celeriter discedunt, perpessiones dicuntur. ueluti siquis dolore commotus fiat iracundior. non.n. natura iracundus dicitur, qui tali motu iracundior factus est, sed poti9 dicitur aliquid passus esse. quare motus eiusmodi animi dicuntur perpessiones quædam, non qualitates.

SCHOLIVM.

Tertium qualitatis genus.

Hoc tertium genus continet, & comprehendit ea, quæ pertinent ad sensus. itaque & nomen generis sunt qualita-

litates passiua, & perpessiones, & distinguuntur hac nomina inter se, sicut in primo genere nomen habitus, & nomen affectionis. qualitates dicuntur, quę sunt permanentes, a quibus tales denominantur, in quibus insunt. perpessio est motio leuis, & mutabilis, a qua nulla fit denominatio.

Dicuntur autem qualitates passiuę.

In quatuor sensibus, tactu, gustatu, odoratu, & auditu perpeßio, & motio à qualitatibus infligitur sensibus, quos veluti mordent, & percutiunt. colores, qui cadunt in cernendi sensum, nullum talem motum inurũt oculo, sed contra ipsi colores gignuntur ab aliqua motione, & perpessione. Itaque diuersa ratio est, cur qualitates, quæ pertinent ad oculum, dicantur passiuę ab illa ratione, ob quam dicuntur passiuę aliæ qualitates, quę pertinent ad alios quatuor sensus.

Ac gigni quidem multas colorum mutationes,

Exemplis notis, & quæ sub sensum cadunt, infert ex similibus caußis alicuius perpessionis in temperamento naturalis constitutionis corporis fieri, vt alia corpora natura palleant, alia sint rubicunda, alia sint fusco colore.

His similes etiam in animo.

Vitia, & virtutes animi nobiscum congenitę, per qua alij natura mites dicuntur, alij iracundi, alij furentes, pertinent ad hoc tertium genus qualitatis. Nam vsu vel recto, vel prauo acquisita pertinent ad primum genus. sic in primo genere transtulit habitum etiam ad corpus. in secundo, molle, & durum adiunxit illis, quę erant propria eius generis.

Quartũ genus qualitatis est figuraq. & extrema circũplectens quamq. rem forma. cum his con-

coniunguntur, etiam rectitudo, & curuitas, & si quid est aliud his simile. nam per horum vnumquodque tale aliquid dicitur. siquidem Triangulus, & Quadrangulus tale quid dicuntur, & rectum & curuum, & per formã vnumquodq. tale dicitur. Rarum aũt, & densum, & asperum, & læue possent quidem videri tale aliquid significare. Sed videntur eiusmodi aliena esse a diuisione, quę de qualitate allata est. nam collocationem quandam partium potius uidentur significare. Densum.n.dicitur, quoniam partes constrictæ se mutuo contingunt. Rarum, quoniam interuallis partes inter se distant. Lęue, quoniam partes positu directe extẽdantur. Asperum dicitur, quoniam alia pars eminens extat, alia subsidens depressa est.

SCHOLIVM.

Pulcherrimo tradidit ordine hanc doctrinam generũ, quibus continentur omnes qualitates, ab intimo animo exorsus, in quo genere est habitus, & affectio, secundo loco exposuit, quæ pertinebant ad interiorem corporis constitutionem, in qua firmitas, & imbecillitas corpori congenita regebatᵣ, & distinguebat secundum genus ab alijs. Tertio loco exposuit, quę magis eminebant in corpore, nempe quę pertinebant ad quinque sensus. Quarto loco id, quod proxime accedit ad quantitatem, & in promptu est, & in ipsa superficie. Est aũt forma, & figura cuiusq. rei varijs circunducta lineamentis.

Rectitudo, & curuitas.

Hæc accidunt lineis, & figuris.

Alie-

Aliena esse a diuisione.

Si in nullam cadunt diuisionem Qualitatis, sunt re uera aliena a qualitate, nec ullo modo possunt vocari qualitates.

Nam collocationem quandam partium.

Supra theses & collocationes posuit in categoria ad aliquid, & denominata a thesibus in categoria, situm esse, vt stare, sedere. sic erunt hæc rarum, densum, asperum, lene.

Posset quidem fortasse videri & alius aliquis esse Qualitatis modus, sed qui maxime dicuntur eiusmodi propemodum sunt. Sunt igitur Qualitates, quæ antea dictę sunt: Qualia vero, quæ ab ipsis denominatione deducuntur, vel quomodocunque aliter ab ipsis profecta. ac in plerisque sanè & propè in omnib⁹ fit denominatio, vt ab albedine albus, & a Grammatica grãmaticus. & a iustitia iustus. sic & in alijs. in nonnullis autẽ, qm̃ qualitati nomina non sunt imposita, nõ licet denominatione ab ipsis qualia deducere, veluti qui græce dromicus, aut pycticus dicitur, quoniam ex ui naturaliter ab ipso ortu corpori insita alter ad cursum velocitate valeat, robore alter valeat ad dimicandũ pugnis, neuter a nulla quæ nomen habeat, qualitate denominatur. illi.n. ui corpori congenitæ nomen non est impositum, a qua ui naturali tales dicantur: sicut imposita sunt nomina scientiis, per quas apud magistros exercitati pyctici, & palæstrici appellantur. pyctica.n. scientia

vocatur & palęstrica, a quibus his imbuti scientijs, tales denominantur. interdum & qualitas nomen habet; nec quale ab ipsa denominatur, sicut a virtute, quæ græce dicitur ἀρετή, qui virtute præditus est, dicitur σπουδαῖος. hoc.n.nomen ad virtutem pertinet, nec ab ipsa deducitur, sed non in multis eiusmodi res contingit. dicuntur igitur qualia, quæ denominantur a dictis qualitatibus, aut quomodocunque aliter ad ipsa pertinent.

SCHOLIVM.

Posset quidem fortasse.

Qualitates omnes ordine pulcherrimo, vt dictum est, compręhenduntur his quatuor generibus. quod verò nunc dicit, spectat ad modestiam docentis.

Vel qnomodocunque aliter.

Non omnia Qualia habent qualitatem, a qua deducto nomine denominentur. nam in secundo genere qualitatis Qualia non denominantur à qualitatibus, quæ carent nomine. sed proficiscuntur significatione ab ea vi, vel imbecillitate, quæ est insita corpori naturaliter ab ipso ortu. Græcis est nomen ipsis Qualibus. apud Latinos nec ipsa Qualia proprium nomen habent, sed explicantur periphrasi, naturaliter valere velocitate, vel robore ad hoc, vel illud, vel naturaliter imbecillum esse ad hoc agendum, vel illud facilè, aut patiendum.

Interdnm & qualitas nomen habet.

Sicut apud Gręcos non est nomen deductum à virtute, quo significetur, qui virtute præditus est, sic nec apud Latinos.

Dicuntur igitur quali*a*.

More suo infert cõclusionẽ eius, quod docere proposuit.

Exi-

Existunt autem & contraria in hac categoria quæ ad Quale pertinet, est.n.iustitiæ contrariũ iniustitia. & albori nigror. sic & alia. eodẽ modo & qualia a qualitatibus deducta. sic est & iniustum iusto, & albũ nigro ꝯrium: quod tñ in omnibus non procedit. nam rubeum et pallidũ tametsi qualia sunt, nullum habent cõtrarium. Insuper & hoc, si ꝯtrariorum alterum sit quale & alterum esse quale. quod manifestum fit per currenti in demonstrando singula alia rerum genera: veluti si sit iustitia contrarium iniustitiæ, & iustitia pertineat ad categotiam, Quale, ad eandem ergo pertinet & iniustitia. nulla.n. reliquarum categoriarum sese accõmodat iniustitiæ, nec Quantum, nec Relatum ad Aliquid, nec Alicubi, nec vlla prorsus alia categoria præter Quale. sic est in alijs contrarijs, quæ pertinent ad quale.

SCHOLIVM.

Existunt autem.

In hac categoria maxime locum habent contraria. substantiæ.n. vt vidimus nihil est contrarium nec Quanto, nec fere in Relatis ad aliquid si sequamur difinitionem Aristotelis.

Insuper & hoc.

Hoc quoque tanquam proprium in hac categoria numerari potest. si constet ex duobus contrarijs alterum eße quale etiam alterum quale eße oportere. infra vbi de contrarijs agetur, videbimus quo præcipue fundamẽto id nitatur.

Quod manifestum sit percurrenti.

Hæc est demōstratio per inductionem, de qua dictum est supra, quæ fit singulis rerum generibus propositis percurrendis, quæ certo numero cum constēt, sunt tanq res sensibus subiectæ. percurre reliqua nouem categoriarū genera, intelliges iniustitiā ad nullam earū pertinere.

Habent & hoc Qualia, vt dicantur magis & minus talia. album.n. magis & minus album aliud alio dicitur. & iustū magis & minus aliud alio dicitur. & hęc ipsa intēsionem suscipiunt, ut quod est albū, fieri possit magis album. quod tamen non in omnibus, quæ sunt Qualia, contingit: sed in plerisque. nam iustitia an dicatur magis & minus iustitia posset aliquis dubitare, & de aliis similiter affectionibus. (nam de iis nōnulli ambigunt : qui dicunt iustitiā iustitia haud magnopere dici magis & minus, nec sanitatē sanitate, habere tamen alium alio minus sanitatem dicunt, & iustitiam alium alio magis, similiter & grammaticam, & alias affectiones: atque omnino deducta ab ipsis qualia absque dubitatione magis & minus talia dicuntur. alius.n. alio dicitur scientia grammatices magis instructus, & magis robusta valetudine, & magis iustus, & sic in aliis) triangulus autem & quadrangulus non videtur dici debere magis & minus triangulus, aut quadrangulus, nec ulla aliarum figurarum. nam quæ cadunt sub definitionē trianguli, aut circuli, oīa æque sunt triāguli, aut circuli: quæ verò nō cadunt

dunt figurę sub eandem definitionem, nec cũ ipsis vsurpari põt magis & minus. non.n.quadrangulus magis circulus est illo quadrangulo qui est altera parte longior. neutrum.n.cadit sub circuli definitionẽ, atque vniuerse, nisi quæ inter se collata dicuntur esse magis & minus talia, cadunt vtraque sub eius definitionem, de quo est disputatio, non dicentur aliud alio esse magis talia. non omnia igitur Qualia susci piunt magis & minus. Sed nihil horum, quæ dicta sunt, est ipsius proprium Qualitatis, verũ aliqua esse similia, vel dissimilia in solis dicun tur qualitatibus. aliud enim alii simile est per nullum aliud categoriarum genus, quàm per quale. Quare proprium Qualitatis fuerit per ipsam dici aliquid esse simile, aut dissimile.

SCHOLIVM.

Habent & hoc qualia.

Nam aliqua dici magis & minus talia propriè locum habet in contrarijs, quę plurima sunt in hac Categoria.

Nam Iustitia.

Hæc verba, vsque ad illum locum, Triangulus autem sunt interipienda quasi per parenthesim. sic autem hæc sententia pendet à proxima superiore, dixi Qualia suscipere magis & minus, & intẽdi, ac remitti, quia de qualitatibus dubitatur. nam aliqui asserunt iustitiã, & alios habitus per se acceptos non dici magis & minus tales, sed eos, qui præditi sunt illis habitibus, dici magis & minus habere illos habitus, & affectiones, siue pertineant ad mores, siue ad cognitionem, siue etiã pertineant ad corpus, vt sanitas.

Triangulus autem.

Hoc respondet vltimis verbis, quæ posita sunt ante parenthesim, quod tamen non in omnibus, quæ sunt qualia contingit, sed in plerisque, non potest dici Triangulus magis Triangulus alio triangulo, & ratio est quia cadunt sub eandem definitionem. sunt ergo eiusdem naturæ. nec alius esse potest magis talis quàm alius, quod si comparatio spectet aliam figurã cum qua non sint idem definitione, nec sic inter hæc vsurpabitur magis & minus, vt patet exemplo.

Aliud.n.alij simile.

Res est per se nota. & dictum est autem de hoc proprio in fine categoriæ, quæ Quantum vocatur.

Cęterum nõ oportet perturbari, ne quis nos dicere possit, qui proposuimus tractare de Qualitate, multa eorum, quæ sunt ad aliquid in hoc genere adnumerasse. habitus enim & affectiones eorum esse diximus, quæ sunt ad aliquid: quippe quod omniũ fere qualitatum genera ad aliquid esse dicantur; quæ vero singula sub generibus continentur, eorum nullum est ad aliquid. nam scientia, quæ genus est, hoc ipsum quod est alius esse dicitur, alicuius.n.scientia dicitur: ipsarum vero singularũ scientiarum nulla hoc ipsum quod est alius dicitur, veluti Grammatica non dicitur alicuius grammatica, nec Musica alicuius musica, nisi forte per genus etiam hæ dicantur esse ad aliquid: sic grammatica dicitur alicuius sciẽtia non alicuius grãmatica, & Musica alicuius sciẽ

tia non alicuius musica. Quare singulæ scientiæ non sunt ad aliquid, a quibus nos denominamur tales: quas & tenemus; & nos docti & scientes dicimur, quod aliquas ex singulis doctrinis teneamus. itaque ipsæ etiam qualitates fuerint nimirum singulæ scientiæ, per quas scilicet etiam tales dicimur; atque hæ non sunt ad aliquid. præterea si contingat idem esse & quale & ad aliquid nihil absurdi est in vtrisque ipsum numerari generibus.

SCHOLIVM.

Cæterum non oportet perturbari.

Solet reijcere in finem siquid sit quæstionis & dubitationis. Dubitationem de substantia mouit tunc suo tempore. iam.n.exposita erat doctrina illius categoriæ: & soluit vt ratio postulabat, ostendendo peccatum definitiones eorum, quę sunt ad aliud, & albata noua definitione. allata *nunc de his qualitatibus, quę positę sunt in illa categoria ad aliquid aliter respondet, atque ita respondet vt innuat si ferri potuisset, vt substantia diceretur ad aliquod genus accidentis pertinere, quemadmodum ferri potest idem accidens ad diuersa genera accidentis pertinere, se nihil dicturum fuisse aduersus illam definitionem.*

Quę vero singula sub generibus continentur.

Simili ratione exclusit antea primas substantias ab illa definitione ad aliquid, & secundas etiam substantias, & remansit dubitatio de solis partibus

secundarum substantiarum . nunc dicit genera fermè qualitatum cadere sub illam definitionem ad aliquid, non singulas sciẽtias, & virtutes, à quibus proprie denominamur tales.

Præterea si contingat.

Ratio altera ferri posse idem accidens diuersis rationibus numerari, in diuersis accidentis generibus.

De reliquis sex Categoriis.

In his etiam, quæ pertinent ad Categorias Facere, & Pati, sunt contraria, & in iisdem vsurpatur magis & minus. Sunt.n.contraria calefacere, & frigefacere, & calefieri, & frigefieri, & lætari, & tristari. habent igitur hæ Categoriæ contraria: quibus & adiungere licet magis & minus. aliquid enim calefacere põt magis & minus, & calefieri, & dolere, aut tristari magis & minus. suscipiunt igitur hæ Categoriæ magis, & minus. ac de his tot dicta sint satis. Dictum est autem, & de Categoria situm esse in Categoria ad aliquid. diximus.n.in hac Categoria contineri ea, quæ denominãtur a Thesibus. de reliquis Categorijs, quæ sunt Aliquo tempore, & Alicubi, & Habere se, propterea quod res sunt per se claræ, nihil aliud de ipsis dicitur, quàm quę initio dicta sunt, nempe Habere se significare, calceatum esse, armatum esse, Alicubi, vt in Lycæo, in Foro, & alia, quæ de Categoria, Aliquo tpe dicta sunt. De propositis igitur gñibus sint satis quæ dicta sunt.

SCHOLIVM.

Quę breuiter,& pauca dicuntur de his sex Categorijs, satis sunt pro tractatione suscepta, quæ dirigitur, vt dictum est, ad orationem enuntiatiuam. nam subtilior & accuratior disputatio terminos propositæ tractationis transgrederetur: sicut transgrediuntur ij, qui fusius super his philosophantur.

De Oppositis.

De oppositis autem dicendũ est quot modis aliqua inter se solita sint opponi. dicitur.n. aliud alij opponi quatuor modis, vel relatiue, vel contrarie, vel sicut priuatio,& habitus, vel sicut affirmatio,& negatio. opponuntur autẽ in his singulis, exempli gratia, relatiue duplũ dimidio, contrarie malum bono, sicut priuatio & habitus, cæcitas & visus, sicut affirmatio & negatio, sedet non sedet. Opposita porrò relatiue id quod sunt, oppositorum dicuntur esse; vel quomodocunq. aliter ad ipsa referri opposita: veluti id quod est duplũ dimidii, hoc ipsũ quod est, alterius duplum dicitur. est.n. duplũ alicuius. & sciẽtia scibili opponitur, vt ea, quæ sunt ad aliquid, ac dicitur quidem sciẽtia hoc ipsum quod est scibilis rei scientia. & scibile hoc ipsum quod est, ad scientiam, quod habet oppositum, refertur. scibile.n. aliquo scibili dicitur, nempe scientia. Quare opposita relatiue id quod sunt oppositorum, vel quomodocunq. aliter ad opposita vicissim dicuntur. quæ vicissitudo

situdo recursus non est in oppositis contrarie, vt id quod sunt, dicantur vicissim alterius, sed dicuntur esse contraria inter se. non.n. bonū mali dicitur bonum, sed bono contrarium, nec album nigri album, sed ei contrarium. quare differunt inter se hæ duæ Antitheses.

SCHOLIVM.

Post tractationem decem Categoriarum, quam tractationem modo monuit sibi fuisse propositum, vt mirari quis satis non possit eos, qui longa semper disputatione, quærunt in singulis libris Aristotelis, quidnam illud sit, quod tractandum suscepit, cum ipse in singulis libris id aperte profiteatur, sed post hanc susceptam tractationem, cui dicit hactenus satisfactum esse, quid hæc sunt, quæ adiungit, & quomodo cohærent cum superioribus?

Vidimus antea in quibusdam Categorijs inueniri nomina contraria, & quæ suscipiunt intensionem, & remissionem, dicunturq. magis & minus talia. Vidimus etiam esse quædam nomina, quæ dicantur esse simul natura, hæc verò sunt πάθη, id est affectiones, quę accidunt nominibus: & potest videri methodus superior desiderare, vt hæ affectiones clarius explicentur, & propterea hanc appendicem adiunctam esse. Sed cum his alia quoque explicantur. itaq. dicendum videtur post affectiones illas primarias cognoscendas in prædicatis & subiectis, ex quibus constat oratio enuntiatiua, nempe post homonymiam, synonymiam, & paronymiam esse alias quoq. affectiones, quas secundo loco oporteat cognitas habere: inter quas est Antithesis genus multa complectens. sunt.n. vt docet, opposita quatuor modis. vt rectè cooiungere videatur hoc genus cum superio-

rio-

rioribus, cum ipsum quoq. late pateat. & cum Antithe seos præcipua, & maxima pars sit Affirmatio, & negatio inter se opposita, de quibus tractatur in seq. lib. non videtur carere artificio, quod in fine huius lib. quasi præmonstret nescio quid cognitionis eius rei, quam tractaturus est post hunc librum.

Opposita porrò relatiue.

Ex quatuor modis Antitheseos, & oppositorum primo loco exponit naturam oppositorum relatiue, quæ oppositio est alijs imbecillior, nec reijcit definitionem veterem, quæ hoc loco satisfacit, & satis distinguit hanc oppositionem a cæteris tribus. alibi, vt in Topicis vtitur sua definitione, cum scilicet res ita postulat.

Quęcunque autem contraria sunt eiusmodi, ut in quibus subiectis naturaliter fiunt, aut de quibus subiectis prædicantur necesse sit alterum ex contrarijs inesse, aut prædicando re subiecta, inter ipsa nullum interijcitur mediũ: quorum autem contrariorum non necesse est alterum inesse, vel prædicari de re subiecta, inter illa omnino aliquod medium interiicitur: veluti ægrotatio, & sanitas naturaliter fiunt in corpore animalis, & est necesse horum cõtrariorum nempe, uel ægrotationem, uel sanitatem inesse in corpore animalis. & par, & impar de numero prædicantur, & horum contrariorum alterum nempe, aut par, aut impar necesse in numero inesse. & nullum est medium inter hęc, nempe nec inter ægrotationem & sanitatem, nec inter par & impar. Quorum verò contrariorum necessariò alterum

non

non inest in re subiecta, inter illa est aliquod medium: veluti nigrum & album naturaliter fiunt in corpore, nec est necesse alterũ ipsorũ inesse in corpore. non.n.omne corpus aut album, aut nigrum est, & improbum, & probum, quæ prædicantur de hoīe, & aliis multis, non inest necessario alterum ipsorum illis, de quib⁹ prędicantur. non.n.omnia proba, aut improba sunt & inter hęc est medium aliquod, vt inter album & nigrum, fuscum & pallidum, & quot quot sunt alii colores medii. sed inter probũ, & improbum, seu bonum & malum, medium est, quod neq. bonum est, neq. malum. atque aliqua contraria mediata habent media, quibus sunt imposita nomina, vt inter album & nigrum sunt fuscum & pallidum, & alii colores. in aliquibus non est facilè nomen afferre medium, sed negando vtrunq. contrarium significatur, quod interiacet medium · vt quod neq. bonum est, neq. malum, & quod neq. iustum est, neque iniustum.

SCHOLIVM.

Vidimus substantiam esse, veluti campum, in quo fiunt & gignuntur omnia contraria, & decertent se vicissim pellere. Sed sunt etiam contraria, quę non gignuntur in re subiecta, sed de ipsa prædicantur, vt par & impar de numero prædicantur. Siue igitur gignantur naturaliter in re subiecta, siue tantummodo prędicentur de re subiecta, docet genus contrariorum duplex esse, alterũ

vt

vt vocant mediatum, alterum immediatum, & exemplis omnia declarat, vt solet. ex hac aũt doctrina ostenditur eſſe duplex genus prædicatorum, alterum quod insit neceſſario, alterum quod non ineſt neceſſario in re subiecta.

Et probum, & improbum.

Vocabula græca significant id, quod cõiunctum eſt cum virtute, & eius contrarium, quod eſt in vitio. Sicut virtus autem non ſolum ad homines pertinet, ſed de alijs etiam rebus dicitur, ſic probus, & improbus, bonus & malus non ſolum homo dicitur, ſed aliæ res multę, & apud græcos, & apud latinos. Atque hæc doctrina contrariorum breuiter ſecundo loco expoſita eſt pro ratione ſuſceptæ methodi. hic.n. ſatis eſt cognoſcere, quæ prędicata ex his contrarijs inſint rei ſubiectę neceſſario, & quæ non inſint neceſſario.

Priuatio porrò, & habitus de eodẽ aliquo ſubiecto dicũtur: veluti viſus, & cæcitas de oculo. atq. vniuerſe, in quo naturaliter habitus fit, de hoc ipſorum vtrunq. dicitur. Sed tunc vnũquodq. illorum, quę naturaliter habitum ſuſcipiunt, priuatum eſſe dicimus habitu, cũ in quo ſubiecto natura ineſſe ſolet, & quando ineſſe ſolet minime inſit. edentulum n. dicimus non id quod dentes non habet, & cæcum non id, quod viſum non habet, ſed quod non habet, quando naturaliter habere ſolet. nonnulla.n. in ortu neq. uiſum, neq. dentes habent, quæ nec edentula, nec cęca dicuntur. Priuatum autem eſſe, & habere habitum non eſt idem qđ priuatio, & habitus. habitus.n. eſt viſus, priua-

tio

tio cęcitas. at habere uisum non est uisus, nec cæcum esse est cæcitas. siquidem priuatio quędam cęcitas est, cæcum autem esse, est priuatum esse, non est cæcitas. præterea, si sit cæcitas idem quod cæcum esse, utrumq. de eodē subiecto prædicaretur. verum cæcus quidem dicitur homo. minime dicitur cæcitas homo. hæc tamen priuatum esse, & habere habitum opponi uidentur, sicut priuatio & habitus. modus.n. antitheseos est idē. nam sicut visui cæcitas opponitur, sic cęcum esse ei quod est visum habere. Sed neque res affirmationi subiecta, & negationi est affirmatio & negatio. nā affirmatio est oratio, quæ ait, Negatio est oratio, quæ negat· quæ verò subiecta res est affirmationi, aut negationi minime illa quidē oratio est, sed res. ac res ipsæ subiectę ita dicūtur inter se opponi, sicut affirmatio, & negatio. in his.n. oppositionis modus est idem. & sicut affirmatio ex aduerso negationi opponitur, ut sedet ei quod est non sedet, sic & quæ subiecta est utrique res inter se opponitur, ut aliquē sedere, & aliquem non sedere.

SCHOLIVM.

Priuatio porro, & habitus est de eodē aliquo subiecto.

Tertium genus oppositionis maius superioribus duob⁹, quamuis autem tantopere dissideant inter se priuatio, & habitus, versantur tamen in eodem subiecto id quod ma-

maxime pertinet ad significandam naturam huius oppositionis.

Sed tunc.

Conditio animaduertenda in hac oppositione, & vocibus ad eam pertinentibus.

Priuatum autem esse, & habere habitum non est idem.
Vidimus in principijs differre, quę denominantur, & deducuntur ab aliquo ab his, a quibus denominantur. alterum.n.est nomen primum accidens per se aliquod significans, vt iustitia, vt priuatio, deductum autem illud idem accidens significat coniunctum cum subiecto, vt iustum, cęcum, surdum, quę subiectum connotant. Declarat hanc doctrinam exemplo affirmationis, & negationis, quę nō idem sunt, quod res ipsis subiectę, quod etiam demonstratum est in disputatione de oratione in Categoria Quanti.

Quod verò Priuatio & habitus non sic opponantur, sicut opposita relatiue perspicuum est. non.n.priuatio & habitus id quod est oppositi dicitur. quandoquidem visus non est cęcitas visus, nec ullo alio modo ad illud relatū dicitur. Similiter nec cæcitas diceretur cęcitas visus, sed priuatio quidem visus cæcitas dicitur. cęcitas autem visus non dicitur, nec visus cæcitatis. Insuper quæ sunt ad aliquid reciproco regressu conuertuntur cum opposito. itaque & cęcitas si esset eorum, quæ sunt ad ad aliquid, & illud cum ipsa conuerteretur, ad quod ipsa dicitur. sed non conuertitur. non enim dicitur visus cæcitatis visus.

Scho-

SCHOLIVM.

Distinguit hanc tertiam oppositionem ab oppositione relatiua, breuiter. (est.n.res perspicua) tum ex definitione Relatiuorum, tum ex eo proprie, quod Relatiua reciproca conuersione mutuo recurrant, quod minime potest accommodari huic tertię oppositioni.

Neque sicut contraria opponuntur, quę dicuntur opponi, sicut priuatio & habitus, id qđ ex his manifestum est. quorum.n.contrariorũ nihil est medium, necesse est, quibus in subiectis naturaliter solent fieri, aut de quibus prędicari, alterum ipsorum illis subiectis semper inesse: horum.n.ꝯtrariorum nihil erat mediũ, quorum alterum erat necesse in subiecto cõtraria suscipiente inesse, veluti dictum fuit de ægrotatione & sanitate, de impari & pari. quorum autem contrariorum erat aliqđ medium, nunquam erat necesse alterum rei subiectæ omni inesse. non n.omne quod colorem suscipit necesse est aut album aut nigrũ esse: nec calidum, aut frigidum quicquid hæc suscipit. quando nihil prohibet pro his aliquod mediũ inesse. Pręterea & horum erat aliquod mediũ, quorum alterum non erat necesse subiecto suscipienti inesse, excepto siquibus natura vnum inest, ut igni caliditas, & niui albedo. in his.n. alterum definite necessariò inest, non utrumlibet contingat. non.n potest ignis frigidus esse, aut nix nigra. quare non est necesse rei subiectæ omni inesse alterꝫ ipsorum, solis illis

exceptis quibus vnum naturaliter & definitè inest non utrumlibet contingat. at in priuatione & habitu neutrum eorum, quæ dicta sunt, uerum est. non.n.est necesse alterum ipsorum semper in suscipiente inesse. quod.n.naturaliter nondum solet visum habere nec cæcum dicitur nec videns. non erunt igitur hęc in eiusmodi contrarijs quorum nihil est medium, sed nec in illis quorum aliquod est medium. nam in priuatione & habitu aliquando necesse est ut omni suscipienti insit alterum ipsorum. quando .n. iam naturaliter solet habere uisum, tunc vel cæcus, vel habere visum dicetur, & ex his non alterum definite, sed vtrumlibet contingat. non est .n. necesse vt vel cęcus sit definite vel videns, sed vtrumlibet cõtingat. in contrarijs vero, quorum est aliquod medium nunquã erat necesse omni alterum inesse, sed aliquibus atque his unum definite, non utrumlibet contingeret. Quare manifestũ est quę opponuntur sicut priuatio & habitus neutro modo opponi, sicut duplex genus contrariorum.

SCHOLIVM.

Neque sicut contraria opponuntur.

Contraria immediata, in quibus naturaliter fiunt, aut de quibus prædicantur, vt vidimus, in his subiectis alterum ipsorum inest necessario, quæ verò necessariò insunt, semper insunt. hoc verbum semper antea nõ fuit expressum, nunc exprimitur, quo verbo clara apparet

distinctio eorum, quæ opponuntur sicut habitus, & priuatio a contrariis immediatis, sicut item fit clara distinctio a contrariis mediatis per verbum, omni, expressum in eorum definitione. clara sunt omnia & verbis, & exemplis, vt longiore non egeant expositione.

Ad hæc, in re, quæ suscipit contraria, fieri potest, ut alterum contrarium in alterum uicissim mutetur, nisi natura unicum alicui rei contrarium insit, uelut igni caliditas. nam & quod sanum est ægrotare, & quod est album fieri nigrum potest, & quod frigidum est, calidum fieri: atque ex probo improbum aliquem fieri, & ex improbo probum fieri possibile est. improbus enim traductus ad meliores uiuendi rationes, & rectioris disciplinæ monita, tametsi paruulam progresionem faciat ad meliora, siquam tamen uel minimam progresionem semel fecerit, perspicuum est fore, ut uel perfecte mutetur, uel certe admodum longe prodeat in uirtute adipiscenda. nam paratior semper fit & expeditior, quantulumcunque ab initio progressum fuerit, ut consentaneum sit illum semper in eo studio maiores habiturum progressus. quod si semper fiat, id illum tandem ad habitum contrarium traducet, nisi têporis breuitate conatus hic fuerit interceptus. At uero in priuatione, & habitu hæc mutationis uicisitudo minime fieri potest. nam ab habitu in priuationem fit mutatio, a priua-

tione

tione uero ad habitum reuerti prorsus nefas est, neque enim cæcus aliquis effectus iterum aspexit lucem, nec caluitium iterum crines genuit, nec edentulo nati sunt iterum dentes.

SCHOLIVM.

In hoc explicando discrimine inter opposita contraria & opposita sicut habitus & priuatio, animaduertenda est illa difficultas, quam Aristoteles ostendit in mutatione praui habitus in rectum & bonum habitum, non enim frustra quasi laborat in ea re demonstranda. nam sic voluit monere adolescentes, vt caueant praue agere & viuere, cum prauitas vsu confirmata vix vllo postea labore conuelli, & immutari possit.

Nisi temporis breuitate.

Vt habitus bonus confirmetur, res indiget longi temporis exercitatione & vsu longo in recte agendo sicut in librorum Ethicorum disputatione docet.

Quæcunque uero sicut Affirmatio, & negatio opponuntur, clarum est ea nullo trium superiorum modo inter se opponi. in hoc enim quarto modo necesse est alteram tantum partem oppositam esse ueram, alteram esse falsam. id quod minime necesse est, aut in contrarijs, aut in his, quę sunt ad aliquid, aut in habitu, & priuatione. Sanitas enim, & ægrotatio contraria sunt, & neutrum ipsorum

uerum,aut falſum eſt. ſic eſt de duplo & dimdio relatiue oppoſitis, neutrum ipſorum uerũ aut falſum eſt. ſic eſt in his,quæ opponuntur, ſicut priuatio,& habitus, ueluti uiſus,& cæcitas. atq. uniuerſe, quę diſiuncta nec complicando loquimur,eorum nihil uerum aut falsũ eſt,& quę dicta ſunt omnia ſeparatim, & minime complicata dicuntur. ſed enim maxime uideri poſset id contingere, ſi pronuntientur complicando orationes ex contrariis. hæc.n. oratio, Socrates ſanus eſt, contraria eſt huic orationi Socrates ægrotat. verum nec in his neceſſe eſt ſemper alterum uerũ, alterum falſum eſse. Socrate.n.uiuente alterum uerũ eſt, alterum falſum: ſi mortuus ſit, utraque falſa ſunt,ſiquidem nec ipſum ſanũ eſſe,nec ægrotare uerum eſt,ſi omnino non ſit. in priuatione uero & habitu ſi plane non ſit;neutrum uerum ſi uero ſit,nõ ſemper alterum uerum,alterum falſum eſt. nam Socratem uidere opponitur huic orationi Socratem cæcum eſſe, ſicut priuatio,& habitus, & ſi ſit,nõ eſt neceſſe alterum eſſe uerum,alterum falſum, quando .n.nondum naturaliter uidere poteſt, utraque ſunt falſa,ſi uero prorſus Socrates non ſit,etiã ſic utraque falſa,& ipſum uidere, & ipſum cæcũ eſſe. at in Affirmatione, & negatione ſemper ſiue ſit,ſiue non ſit, alterum falſum erit, alrerum uerum. ægrotare.n.Socratem,& non

ægro-

ægrotare, si sit, manifestum est alterum uerũ, alterum esse falsum, & si nõ sit, similiter. nam ipsum ægrotare, si non sit, falsum est, nõ ægrotare autem uerum. quare in orationibus solũ sic oppositis, ut affirmatio, & negatio propriũ est, ut altera pars semper sit uera, uel falsa.

SCHOLIVM.

Sicut Relatiuorum oppositio est leuissima, & contrariorum magna, & in habitu, & priuatione maior, sic maxima omnium oppositio est affirmationis, & negationis, præcipue, vt videbimus in sequenti libro, oppositarum contradictorie.

Atque vniuerse, quæ disiuncta nec complicando.

Hęc ratio posita supra est cum principijs præcognoscendis in postremo.

Sed enim maxime videri posset.

Ponit exempla orationum ex contrarijs immediatis, & ex appositis, sicut habitus, & priuatio, vt ex ea intelligamus, quanta sit vis in affirmatione, & negatione, sic oppositis, sicut opponuntur, Socrates ægrotat, & Socrates non ægrotat. ratio, & doctrina huius oppositionis explanabitur in sequenti libro. nunc satis est hoc simpliciter præcognoscere, oportere in tali oppositione semper alteram partem esse veram, alteram esse falsam.

Contrarium autem Bono quidem malum est necessario: quod manifestum fit rerum singularum exemplis inducendis: ueluti sanitati ęgrotatio, & iustitiæ iniustitia, & fortitudini timiditas. & sic in aliis: Malo uero interdum bonum est contrarium, interdum malum,

sic ei

sign.quod parũ est, quod in malo ponitur, contrarium est ei quod nimium est, quod similiter malum est, & mediocritas vtriq. contraria est, quæ ad bonũ pertinet: sed in paucis id aliquis animaduertat. ac in plerisq; malo semper bonum esse ꝯrium. Contrariorũ præterea nõ necesse est si alterum existat, & reliquũ existere. nam si omnes sani sint, sanitas quidẽ erit, ęgrotatio non erit. similiter si omnia sint alba, erit albedo, non erit nigredo. insuper, sic Socratem bene valere & Socratem ægrotare, sicut inter se contraria, nec possunt simul vtraque esse in eodem, fieri non potest vt si alterum ex contrarijs sit, reliquum etiam sit. si enim sit Socratem bene valere, non erit Socratem ægrotare. perspicuum etiam est contraria in his, quæ sunt idem vel specie, vel genere, solere contingere. ægrotatio enim & sanitas in corpore animalis solent fieri, albedo vero & nigredo simpliciter in corpore, iustitia & iniustitia in hominis anima. Est autem necesse omnia contraria, vel in eodem genere esse, vel in contrariis generibus, vel ipsa esse genera. album enim & nigrum sunt in eodem genere. color enim ipsorum genus est: iustitia vero & iniustitia sunt in contrariis generibus, alterius enim virtus genus est, alterius vitiositas: bonum autem & malum non sunt in genere, sed ipsa existunt aliorum genera.

SCHO-

SCHOLIVM.

Præter ea, quæ iam tradita sunt de natura cõtrariorum hæc adiunguntur obseruanda in contrarijs cognitu necessaria his qui accedunt ad percipiendam doctrinam orationis enunciatiuæ, & ad doctrinam Analyticam, & Topicam.

Ei enim quod parum est.

Hac de re in Ethicis. vbi docet uirtutem esse mediocritatem sitam inter duo extrema vitia: vnde illud poetæ.

Virtus est medium viciorum vtrinq; reductum.

Contrariorum præterea.

Hoc in oppositis relatiue requiritur, in oppositis contrarie non est necesse.

Quæ sunt idem, vel specie, vel genere.

Omnia animalia sunt idem genere, & similiter omnia corpora sunt idem genere: omnes autem homines sunt idem specie.

Bonum autem, & malum.

Sunt genera, quæ latissime patent. nam alibi dicit Aristoteles bonum reperiri in omnibus prædicamentis, & tam late patere, quam ipsum Ens quod dicitur de omnibus prædicamentis.

Prius aliud alio quatuor modis dicitur: primo quidem ac maxime proprie de his, quæ alia tempore antecedunt: ex quo antiquius aliud alio, & vetustius dicitur, quod enim plus temporis sit, ob id antiquius, & vetustius dicitur, secũdo qđ si ponatur ex alio cõsequi vt sit, aliud vicissim ex eo posito non cõsequitur necessario vt sit: excẽpli caussa vnũ duob. prius est

si.n.duo ſint, ſtatim conſequitur, ut sit unum. si uero unum ſit, vt duo ſint, non eſt neceſſe. itaque ab uno viciſſim non fit recurſus, vt ſi vnum ponatur eſſe, conſequatur reliquum eſſe. prius autem videtur id eſſe, à quo non fit recurſus, ut eo poſito, cõſequatur aliud eſſe. Tertius modus eſt, cum aliquid prius ordine dicitur, ſicut in ſcientiis, & orationibus. in ſcientiis.n. demonſtratiuis eſt, quod prius, & poſterius eſt ordine. elementa.n.ſunt priora ſiguris: & in grammatica litterarum elementa ſunt priora ſyllabis. atq. in orationibus ſimiliter oratorũ proœmium ordine antecedit narrationem. Inſuper præter dictos modos, quod melius eſt, & maioris prætii pri⁹ natura dicit̃. ſic ſolent multi, quos pluris faciunt & plus diligũt, illos dicere priores eſſe apud ſe. atque 'is quidẽ modus omnium ferè maxime alienus eſt ab vſu doctrinarum. Qui quidem igitur dicuntur modi in uſu uario uocis huius, tot ferè ſunt. Videri autem poſſit, & præter dictos modos alius eſſe Prioris modus. In iis.n.quæ conuertuntur, ut ſi unum ſit, alterum quoque eſſe oporteat, quod eſt alteri cauſſa aliquo modo ut ſit, id meritò prius natura dici debet. quod uero ſint aliqua eiuſmodi manifeſtum eſt. hominem.n.eſſe cõuertitur hoc modo cum oratione de hoc ipſo uera. si.n.uera eſt hæc res, Homo eſt, oratio, qua pronuntiamus, Hominem eſſe, uera eſt, &

con-

conuertitur, vt si uera sit hęc oratio, Homo est, uera etiam sit res, Hominem esse.. sed oratio uera nequaquam caussa est, quamobrem res sit vera. at res uera uidetur aliquo modo caussa, cur sit oratio uera. quòd.n.res uera sit, aut falsa, quæ orationi subiecta est, ob id oratio uera, vel falsa dicitur. quare quinq. modis aliud alio prius dici potest.

SCHOLIVM.

Sunt hæ quoque passiones, & affectiones quædam rerũ, & vocũ esse prius, aut simul tempore, sicut oppositiones, de quibus antea. Tres primi modi poßunt pertinere ad doctrinas. Quartus est proprius poetarum, qui libenter vtuntur metaphoris. Quintum modum putamus adiectum esse ab Aristotele.

In scientijs.n.demonstratiuis.

Intelligit mathematicas disciplinas.

Prius, acceptum pro eo, quod sit antiquius, carius, & magis cordi etiam apud Latinos vsurpatur.

Simul esse aliqua dicuntur simpliciter, & maxime proprie, quorum generatio, & ortus est in eodem tempore, quod eorum neutrũ sit prius, aut posterius altero. atq. hæc dicuntur simul tempore. natura verò simul, inter quæ est illa conuersio, vt si alterum sit, consequatur etiam alterum esse, sed neutrum neutri sit caussa, vt sit. veluti in duplo, & dimidio, quæ conuertuntur, & si duplum sit, dimidium est, si dimidium sit, duplum est, & neutrum neutri causa est, ut sit. Et quę ab eodem gñe manãt di-

diuisæ ex aduerso differentiæ dicuntur simul natura: & diuidi ex aduerso inter se dicuntur, quæ sunt eiusdem sectionis, vt volucre, vt id quod per terrã graditur, & aquatile: hæc enim inter se ex aduerso diuisa sunt ab eodem genere manantia. Animal.n.in hæc diuiditur nẽpe in id quod volucre est, quod per terram graditur, quod aquatile est. & horum nullum prius, aut posterius est aliis, sed simul esse natura hęc videntur. atque horum vnumquodque diuidi rursus potest in species nẽpe volucre & quod per terram graditur, & volatile. erunt igitur & illæ species simul natura, quæ per eandem sectionem manant ab eodem genere. semper vero genera speciebus priora sunt. nõ.n.inter speciem & genus est illa conuersio, vt uicissim si alterum sit consequatur & alterum esse. nam si aquatile sit animal est, si animal sit non est necesse aquatile esse. simul igitur natura dicuntur inter quæ mutua fit conuersio, vt si alterum sit, consequatur & alterum esse, & neutrũ neutri sit caussa, ut alterum sit, & quæ ab eodẽ genere ex aduerso inter se diuisa fluunt. simpliciter autem illa simul esse dicuntur quæ genita sunt eodem tempore.

SCHOLIVM.

Qui hic ponitur primus modus respondet primo Prioris modo, secundus respondet, secundo & quinto modo Prioris.

Motus

Motus autem sunt species sex, Generatio Corruptio, Augmentum, Diminutio, ἀλλοίωσις, & mutatio secundum locum. atque alios quidem motus diuersos esse inter se perspicuum est. non. n. generatio est corruptio, nec augmētum diminutio, nec secūdum locum mutatio. & alii similiter. sed in eo motu qui dicitur ἀλλοίωσις, in quo est immutatio alicuius qualitatis, dubitat̃, sit ne fortasse necesse qđ immutatur, secundū aliquā aliarum motionū immutari. id autem uerū non est. nam ferè secundū oēs animi motiones, & perturbationes, aut certe plerasq. contingit nos immutari nulla ceterarum motionū seipsam cōicante. nō. n. augeri necesse est qđ animi perturbatione cōmouetur, neq. diminui, & in aliis similiter. erit igitur ἀλλοίωσις ab aliis speciebus motus diuersa. si. n. eadē esset cū illis, oporteret qđ immutatur statim, uel augeri uel minui aut aliarū motionū aliquā sequi. sed non est necesse. similiter & qđ augetur, aut immutatur per aliam motionē, oporteret pati ἀλλοίωσιν. sed q̄dā augētur, quę nihil tale patiuntur. nā Gnomo circūpositus Quadrangulo auget quidē sed nō immutat Quadrāti figurā. sic & in aliis eiusmodi. Quare species motus sunt inter se diuersæ. Est aūt simpliciter Motui contrariū Quies. singulæ uero species habent sua singulæ cōtraria. Generationi corruptio est cōtraria, Augmento imminutio, Mutationi secū-

dum


dum locum Quies secundum locum, cui tamen mutationi opponi maxime uidetur in contrarium locũ mutatio. vt loco inferne contrarius est locus superne, & loco superne locus inferne. Sed reliquæ traditę supra motioni haud facile est afferre quidnam sit contrarium. videtur autem nihil esse ipsi contrarium, nisi quis & hic opponat Quietem secundum qualitatem Mutationi in cõtrariam qualitatem, sicut Mutationi secundum locum Quietem secundum locum, aut in cõtrarium locum mutationem. est.n ἀλλοίωσις mutatio secundum qualitatem. itaque motioni secundum qualitatem opponitur quies secũdum qualitatem, aut mutatio in contrariam qualitatem, sicut album fieri, nigrum fieri. fit.n. res alia, in contrarias qualitates facta mutatione.

SCHOLIVM.

Motus sicut oppositio, de qua supra, est genus multa complectens, & passim hoc nomen motus cum his, quæ ad ipsum pertinent, fit obuiam, & in Analyticis, & Topicis. cum autem sex tantum species motus ferrentur, more suo quasi aliud agens nihil repręhendendo cogit nos fateri esse octo species motus.

Ἀλλοίωσις est nomen inuentum ad significandas mutationes omnes in qualitate, siue ad corpus, siue ad animum pertineant, vocant alterationem. hanc posuerũt tanquam vnicam speciem in qualitate, cui nihil videretur esse contrarium. Mutationem secundum locum fecerant ipsam quoq. speciem solam, quamuis facilius eßet hic inuenire contrarium.

Gno-



Gnomo est quadratum cum duabus expletionibus : qui gnomo circumpositus alteri Quadrato auget nõ immutat quadrati figuram.

Est autem simpliciter Motui contrarium Quies.

Hac ratione viam aperit ad inueniendas contrarias species motus, etiam in Qualitate, & Loco, sicut sunt in Substantia, & Quantitate. In libris tamen de motu docet generationem, & corruptionem ad motum non proprie pertinere, sed hoc non erat tempus huius tangendæ subtilitatis.

De vi & multiplici significatione verbi ἔχειν, idest Habere, quod numeratum est in decem Categoriis.

Ἔχειν, idest habere pluribus modis dicitur. aut enim ut est habere, & tenere habitum, & instructionem alicuius cognitionis, vel habere & imbutum esse alia aliqua qualitate. dicim⁹ enim habere scientiam aliquam, & virtutem : aut

aut vt habere aliquid, quod ad quantum pertineat: velut quam quis habet magnitudinem: dicitur enim habere tricubitalem magnitudinem aut quadricubitalem : aut ſicut quæ habentur circa corpus. vt habere pallium vel tunicam: in aliqua parte corporis, vt in manu annulum, vel tanquam partem, ut habere manum, uel pedem: aut ſicut in uaſe, ut Medimnus habet triticum, uel amphora uinum : uinum enim habere dicitur amphora & medimnus triticum, atque hęc omnia ſicut in uaſe, aut ſicut rem, quæ poſſidetur, uti domum uel agrum habere dicimur. item dicitur etiam uir habere uxorem, & uxor uirum: qui tamen modus a propria natura huius uerbi maxime alienus, & diſiunctus uidetur, nihil. n. aliud habenda uxore ſignificamus, quam uiri & uxoris in eadem domo uitæ ſocietatem. fortaſſe uero alij quoque modi in uſu huius uerbi uideri poſſunt, ſed qui uſurpari ſoleant, omnes ferè numerati ſunt.

SCHOLIVM.

Ex decem Categoriis Ἔχειν, quod ſignificat habere ſe, veluti calceatum eſſe, armatum eſſe, pertinet ad multa. & eiuſmodi voces ſolet Ariſtoteles diligenter explicare, & indicare eorum homonymiam, quam a vocibus quæ vſurpantur in doctrinis, & in philoſophia ametam eſſe oportet, id de hac voce non potuit alibi commodius indicari, quàm hoc loco, & in fine libri, vt finis reſpondeat principio. exorſus enim eſt hunc librum ab indi-

canda

canda homonymia. accommodatur igitur hæc vox ad multa rerum genera sicut hic indicatur. apud latinos vsus verbi habere tam multiplex est, vt vix explicari poßit, sed Aristoteles vocum significationes decem rerũ generibus comprehendit. vbi ab his disceditur quibus propriæ licet variæ significationes cõtinẽtur, ibi dicit vocẽ migrare ad aliena. i. ad metaphorã, & tropos.

Summa breuis huius methodi.

Genus subiectum in inscriptione indicatur, Decem Categoriæ, idest decem genera rerum quibus comprehenduntur vocum simplicium significationes. vt vi cognita cuiusq; vocis postea discamus conficere orationem enunciatiuam. Vox Categoria significat id quod est commune multis, & dicitur siue prædicatur de aliquibus. prædicatum autem principem locum tenet in oratione enunciatiua, in qua pars altera quam verbum coniungit aut disiungit a prędicato, vocatur subiectum. hæc igitur doctrina est de cognoscenda natura prędicatorum & subiectorum. quòd in his præcipue obseruandum, idest an sint homonyma an synonyma an paronyma, & denominatiua. nam hæ sunt affectiones, quæ accidunt prędicatis. quę si sint homonyma communicant nomen tantũ cum subiecto, si synonyma, communicant nomen & definitionem, si denominatiua, sunt Accidentia quæ nec nomen nec definitionem communicant cum substantia, quę est proprium & verum subiectum omnium. de qua substantia vere prędicantur, quæ vocantur secundę substãtię idest species, & genera primarum substantiarum cum specie & genere coniungitur. & differentia, quę tria dicuntur prædicari vniuoce de sibi subiectis. sunt autem in vnaquaque Categoria sua indiuidua & species, & genera & differentię, de quibus idem traditum censetur, sicut est traditum in Categoria substantiæ. pertinent ad cognoscendam naturam

turam vocum simplicium, & quæ traduntur secundo loco, an sint in aliquo ex tribus modis oppositorum, an in aliqua ex octo speciebus motus, an sint simul tempore vel natura, an priora tempore vel natura. quod verò pertinet ad quartam speciem oppositorum aptissime factum videtur, vt in postrema parte huius methodi mentio fieret, & præcognitio quædam eius rei, quæ traditur in sequenti methodo. Exponuntur igitur in hoc libro decem Categoriæ, quatenus, & quantum postulat ratio conficiendæ orationis Enuntiatiuæ, & ipsa doctrina illud potissimum spectat, quod pertinet ad munus prædicationis: cuius rei præcognitio necessario requirebatur ante tradendam in sequenti libro doctrinam simplicis Enũtiationis, quæ diuiditur in Affirmationem, & negationem.



ARISTOTELIS
DE INTERPRETATIONE.

Procemium proponens principia præcognoscenda.

PRIMVM oportet definire quid nomen, & quid uerbum: deinde quid est negatio & affirmatio, & enunciatio & oratio. sunt porro quę loquimur intimarum animi cogitationum notæ, sicut scripta, sunt eorum, quæ loquimur, notæ. ac quemadmodum nec litteræ apud omnes sunt eædem, ita nec quæ loquimur. quorum tamē ea, quæ loquimur notæ primo sunt, eædem sunt apud omnes intimæ cogitationes animi; & quarum rerum cogitationes sunt simulachra, eædem sunt res apud omnes. De his igitur, quæ animo concipimus, & cogitamus, quæ παθήματα uocantur, & νοήματα dictum est ubi de Anima disputatur. sunt enim hæc alius tractationis. Cæterum sicut intus in animo est interdum cogitatum, quod nec uerum nec falsum dicere possumus, & interdum cui oportet horum alterum inesse: sic est in illis, quæ loquimur. uerū enim & falsum existit in iis, quæ componit & disiungit animus. itaque nomina

ipsa per se, & uerba sunt similia cogitationi, quæ nihil componit & disiungit, ut homo, aut album, quandiu nihil adiunctum habeant, nō-dum quicquam uerum aut falsum loquuntur. eius rei est id argumento. Tragelaphus enim significat quidem aliquid, sed nondum uerum quid uel falsum, nisi uerbum esse, aut, non esse, adiunctum fuerit, uel simpliciter, uel cum tempore.

SCHOLIVM.

Mercurius vocatur a græcis Hermes, quem fecerunt nuntium, & interpretem Deorum. sic hic liber inscribitur de interpretatione, quia subiectum genus huius libri est Enuntiatio, quę diuiditur in affirmationem, & negationem, quę sunt primæ orationes, quę nuntiant & interpretantur animi cogitata de vero & falso.

Ad doctrinam categoriarum excepit auditorem rudem & nouum sine proœmio, vt fit in disciplinis mathematicis, in quibus versatus erat, nunc instructum doctrina præcedentis libri proœmio præmonet, quę prçcognoscere oporteat ante doctrinam tradendam.

Primum oportet definire.

Definitur genus subiectum idest Enuntiatio, quę est talis quędam oratio. definitur Affirmatio & Negatio in quas diuiditur Enuntiatio. definitur Nomen & verbum partes scilicet, quibus constat simplex Enuntiatio. quę vero in superiori libro, vt subiecta, & prædicata, quę loquimur, omnia considerata sunt, nunc certa nomenclatura consignantur, & vocantur nomina, & verba. θεῖναι interpretor definire, vnde & Theses vocantur etiam definitiones, vt videbimus in posterioribus An a-

Analyticis. ponuntur ergo etiam hic, & sic semper in omni methodo, principia praecognoscenda ante doctrinam tradendam, & sic necesse est facere. Omnis enim doctrina est ex praecognitis.

Quid nomen & quid verbum.

Primo loco ponuntur simplicia ordine naturae, & sic postulat ratio docendi, & nomen est dignius verbo, quia verbum tantum ad accidens pertinet.

Deinde quid est negatio.

Separat a simplicibus haec, quae componuntur ex ipsis, & est progressus a minus vniuersalibus ad magis vniuersalia. anteponitur negatio affirmationi, quanquam affirmatio dignitate antecellit, vt docetur in posterioribus Analyticis, fortasse quia minus remota est a cognitione sensus, quàm affirmatio, vt haec enumeratio a minus remotis a sensu ad magis remota progrediatur.

Sunt porro quae loquimur.

Res per se notae: non omnes vti ijsdem rerum vocabulis, nec eadem scriptura. & res, quarum nomina & verba sunt notae, easdem esse apud omnes, similiter & animi cogitata de rebus, quae tanquam rerum simulacbra quaedam animus concipit, eadem esse apud omnes. haec autem in hoc procemio quasi substernuntur ad proponendas sex, quae sequuntur, definitiones.

Quae παθήματα uocantur & νοήματα.

Sic vocantur, & hic & in tertio de Anima motus animi, quos vox & lingua interpres effert. qui motus, & quae cogitata quomodo fiant in prima, & secunda operatione animi non est huius tractationis: satis est hic scire Animi cogitatum aliud simplex esse, cui respondent nomina & verba: aliud esse quo animus aliqua componit aut disiungit, cui respondet Affirmatio & negatio, quibus verum aut falsum loquimur.

Eius rei est id argumento.
Argumentum a signo, quo res ferè sub sensum adducitur. & est a maiore ad minus. si nec falsum nec verum significat nomen factum ex coniunctione, tanto minus nomen simplex sine verbo prolatum.
Vel simpliciter vel cum tempore.
Interpretor simpliciter sine tempore. nam vocabulum ἁπλῶς apud Aristotelem cum habet oppositum, cum quo comparetur, eius contrarium significat. & in prioribus Analyticis docet Aristoteles syllogismorum propositiones tales oportere esse nulla apposita certi temporis nota, verbi caussa, nunc, vel hoc tali tempore, sed simpliciter. videbimus infra verbum, est, in ijs propositionibus proprie fungi munere connectendi prædicatum cum subiecto, nulla habita ratione temporis, quod consignificat.

Nomen est vox ad significandum accommodata ex hominum consensu, sine tempore, cuius nulla pars ab integro nomine diuulsa est ad significandum apta. nam in nomine Calippus hippus nihil ipsum per se significat, vt in hac oratione καλος ἵππος, idest pulcher equus. non tamen sicut in simplicibus nominibus, ita se habet in significando etiam in nominibus ex coniunctione factis. in illis nequaquam pars est ad significandum apta, in his vero, quæ ex coagmentatione duplicantur, postulat compositio vt pars significet, non tamen auulsa ab ipsa coagmentatione, vt in nomine Epactroceles, nihil celes significat ab integro auulsum, & per se acceptum. Ex hominum consensu, po-

situm

situm est in definitione, quoniam nullum nomen est a natura, sed est alicuius rei nota, cum illud vsus genuerit. nam significant sanè soni etiam, qui litteris effingi non possunt, vt ferarum, quorum nullum est nomen. Non homo, non est nomen: nec tamen apud docentes est quomodo vocari eiusmodi oporteat. neque enim oratio, neque negatio est. sed vocetur nomen infinitum, quoniam similiter hęc effandi forma existit in omni genere nominũ, & quæ sunt in rerum natura, & quę finguntur, & non sunt. Philonis vero vel Philoni, & eiusmodi non sunt nomina, sed casus nominis: Definitio quidem ipsius nominis in cęteris eos etiam casus similiter complectitur, sed non sunt nomina, quoniam coniuncta cum verbo, est, aut cum fuit, aut, erit, neque veram, neque falsam orationem efficiunt, id quod nomen semper facit, vt si dicas, Philonis est, aut non est, nondum enim talis oratio verum, aut falsum aliquid enuntiat.

SCHOLIVM.

Nomen est vox.

Quæ loquimur voce, & lingua continentur. ponit autem & interpretatur definitionem. ab his autem, quæ posita sunt in proœmio, constituit hanc definitionem, & alias, quę sequuntur. Vox accommodata ad significandum, sunt enim quę loquimur animi cogitationum notę: quę nomina quoniam non sunt eadem apud omnes posi-

tum est in definitione ex communi consensu eorum, qui vtuntur eadem lingua. sunt enim nomina & verba hominum inuenta.

Epactroceles nomen grecum factum ex coniunctione duorum nominum, quæ singula genus quoddam nauigij significant. in hoc nomine pars celes tametsi est nomen integrum abscissa ab hoc toto, & per se capta nihil significat. eiusmodi nomina habent quidem partes in ipsa coniunctione aliquid significantes, quæ extra coniunctionem nihil significant.

Non homo non est nomen.

Fiunt, vt videbimus, ex huiusmodi vocibus affirmationes, & negationes, & aliæ subiecti, aliæ prædicati locum obtinent. non sunt, inquit Aristoteles, nomina. quomodo vero debeant vocari, vt distinguantur a nomine, nondum a quoquam traditum erat. itaque ut aliqua nota distinguantur, inquit, talis vox, vocetur nomen infinitum. Quoniam similiter hac effandi forma existit in omni genere nominum, & quæ sunt in rerum natura &, quæ finguntur, & non sunt.

SCHOLIVM.

Ratio cur putet eiusmodi voces non homo, non animal, non iustus, non pulcher, recte vocari posse nomina infinita, quoniam talis forma in infinitum patet, & ad omne genus nominum applicari potest, & quæ non solum substantiam, & quæ accidens significant, suntque in rerum natura, sed etiam quæ figmenta sunt hominum. & non sunt, vt est chimera, & alia multa. nomen

men autem proprie est, quod certę alicui rei significandæ attributum est. & cum hæc effandi forma cum apposita negatione nullum respuat nomen, infinita sunt eius generis nomina. quæ tamen singula nomina cum vnumquid significent, vel subiectum, vel prædicatum, id quod aperte loco suo dicet Aristoteles, recte adhibentur ad conficiendas ex ipsis affirmationes, & negationes. in hanc sententiam interpretatus sum verba Aristotelis, nam verba græca, sic ad verbum translata, quoniam similiter in quolibet est, & quod est, & quod non est, si ita exponantur, vt hæ voces significent res infinitas non modo, quę sint, sed etiam, quę non sint, nullus esse poterit ipsarum vsus in oratione enuntiatiua, a qua reijciuntur voces ęquiuocæ, & expresse talis expositio repugnat doctrinę Aristotelis de ijs vocibus: qui dicit, Vnum enim significat nomen infinitum. non iustum enim idem est, quod iniustum, in quo est priuatio oppositi, & nihil aliud: sic non homo est quasi in homo; non animal quasi inanimal, & nihil aliud significant, quam ipsam vnam priuationem oppositi.

Philonis vero.

Quem rectum uocant grammatici Aristoteles uocat nomen: uocat & κλίσιν, idest, unde fit inflexio. quos illi obliquos, hic uocat casus nominis: qui cadunt, & inflectuntur ab ipso. differunt a nomine quoniam ex casu tantum, & uerbo non efficitur oratio significans uerum uel falsum, ut efficitur ex nomine tantum, & uerbo.

Verbum eſt,quod prӕterea ſignificat tempus, cuius pars ab integro diuulſa verbo nihil ſignificat, & eſt ſemper eorum nota, quӕ de alio dicuntur. dico quod prӕterea & amplius, quam nomen ſignificat etiam tempus, vt valetudo quidem nomen eſt, valet autem verbum. nam amplius, quàm valetudo ſignificat nunc eam exiſtere. & eſt ſemper eorum, quӕ de alio dicuntur nota, ideſt eorum quę de ſubiecto, vel potius in ſubiecto ſunt At, non valet, & non laborat, non eſſe verbum dico: quanquam ijs etiam vocibus uerbi definitio conueniat. nam prӕter ea, de quibus conuenit verbo cum nomine, tempus ſignificãt, & ſunt eorum nota, quę de aliquo dicuntur. ſed quo a uerbo diſcrimine differant, id diſcrimen non habet nomen. verum eſto infinitum uerbum, quoniam ſimiliter hęc effandi forma exiſtit in omni rerum genere, & quӕ ſunt, & quӕ nõ ſunt: ſimiliter autem, & ualebit & ualebat non verbum, ſed caſus verbi dico. differunt a uerbo, quoniam uerbum conſignificat prӕſens tempus, illa quod circum prӕſens ſtatuitur. ipſa igitur per ſeipſa uerba ſi loquamur, & nomina ſunt & aliquid ſignificant. nam qui uerbum loquitur, mente minime ſuſpenſa loquitur, & qui audiuit acquieſcit. uerum ſic necdum ait aut negat. neque enim ipſum eſſe aut non eſſe rei. & ſubiecti eſt nota ne ſi locutus quidem erimus

ſic

ſic ipſum ens nudum & per ſe. ipſum enim nihil eſt, & nullius rei nota. ſed uerbum, eſt, uinculi etiam & nexus cuiuſdam nota eſt: quem nexum abſq. his, quæ adiacent & nectit, haud pote eſt intelligere.

SCHOLIVM.

Verbum differt a nomine his duobus, quod ſignificat etiam tempus, & eſt eorum nota, quæ dicuntur de ſubiecto vel potius ſunt in ſubiecto. ſignificat enim accidẽs, quod didicimus in ſuperiori libro magis propriè dici eſſe in ſubiecto, quàm prędicari de ſubiecto.

At, non ualet, & non laborat.

Sic quidem pronuntiata nullum prębent vſum orationi, ſed prębent ſi dicas non valere, non laborare eodem modo, quo non homo non iuſtum vſurpantur in aſſirmando, & negando, vt in illis orationibus Poſſibile eſt non eſſe, vel non valere, cuius negatio eſt Non poſſibile eſt non eſſe, vel non valere, de quibus orationibus videbimus loco ſuo. itaque eiuſmodi verba infinita ſunt tanquam nomina infinita in ijs orationibus. & propterea eadem doctrina, & ſententia hic repetitur, quæ poſita fuit in nomine.

Sed caſus uerbi.

Eadem ratione ſicut caſus nominis. cadunt enim a pręſente reliqua tempora, ſicut obliqui a recto.

Nam qui uerbum loquitur.

Si verbum nihil ſignificaret, eo prolato & audito mens dicentis, & audientis non ſtaret & acquieſceret. nam mens aſſecuta ex aliqua recognitionem acquieſcit, nec ſuſpenſa amplius quęrit. nam cognitio eſt quiddam ſimile quieſcenti in anima, vt eſt in libris de anima.

Verum

Verum sic necdum ait aut negat.

Est & non est pro affirmat, & negat. verbum solum non significat affirmationem, & negationem, & cum dicis, Est, nihil affirmas, cum dicis, non est; nihil negas. esse enim & non esse non sunt notæ subiecti, sine quo subiecto non est affirmatio, aut negatio. quin Ens ipsum, a quo denominatur, Est, solum & per se rem nullam significat, & nihil est.

Sed verbum, est, vinculi etiam & nexus cuiusdam nota est.

Id munus verbi, est, perspicitur in orationibus necessarijs demonstratiuis, in quibus arcte constringit prædicatum, cum subiecto, sine vlla designatione temporis.

Oratio est vox significans, cuius partium aliqua per se accepta significans est, vt nomen & verbum, sed non vt affirmatio. veluti homo significat quidem aliquid, sed nec ait, nec negat. erit autem affirmatio, uel negatio siquid adiectum fuerit, non tamen hominis syllaba una, nec enim in dictione μῦς, idest, mus, υς, quicquam significat, sed uox nunc tantum est. in factis autem ex coniunctione est, quod significet, sed non diuulsum ab integro, ut dictum est antea: est quidem omnis oratio significans, non ut naturale instrumentum sed ut dictum est, ex hominum consensu. Enuntiatiua uero non omnis est oratio, sed ea, in qua inest, ut uerum aut falsum enuntiet, quod in omnibus nō inest: ut deprecatio est quidem oratio, sed nec uera nec falsa. Quamobrem alia facessant

ora-

orationum genera, quarum tractatio Rhetorices, uel Poetices magis propria est. Oratio enunciatiua præsentis est contemplationis.

SCHOLIVM.

In principio in enumerandis quatuor principijs post nomen, & verbum modo magis apto nostræ cognationi progreßus est a minus vniuersalibus: nunc ratio docendi postulat, vt prius definiat genus, quam speciem. generi subiectam. nam Enuntiatio est orationis species. definit igitur primo loco orationem, quæ cum constet ex nomine, & verbo est ipsa quoque vox, & locutio significans ex hominum consensu, vt nomen, & verbum.

In græco est lusus verbi, vt phasis non vt cataphasis, quasi si diceretur, vt locutio non vt elocutio. sed cataphasis significat, quam nos vocamus affirmationem, quod apud nos non significat elocutio. itaque transtuli, vt nomen, & verbum, ex quibus constat affirmatio.

Non vt naturale instrumentum.

Sicut antea dixit nullum esse nomen a natura, sic nunc dicit orationem non esse instrumentum naturale. constat quidem voce, quæ est instrumentum naturæ, sed nomina, & verba, quæ voce loquimur, sunt hominum inuenta.

Enuntiatiua vero non omnis est oratio.

Orationum species multæ sunt apud oratores, & poetas, a quibus omnibus distinguitur Enuntiatio, cui hoc proprium tribuitur, vt sit, aut vera, aut falsa.

Oratio

Oratio Enunciatiua præsentis, est contemplationis.

Solet Aristoteles semper indicare quid tractandum susceperit, vt mirum videri poßit cur interpretes ferè quærant, & Doctores litigent de genere subiecto propositæ Methodi, & doctrinæ.

Est autem una oratio Enuntiatiuà prima Affirmatio deinde negatio: reliquæ omnes orationes enuntiatiuæ sunt una oratio uinculo & nexu. atque oportet omnem orationem enuntiatiuam existere ex uerbo, uel ex casu uerbi. etenim hominis definitio uidelicet, animal ambulans duobus pedibus, nisi adiectum sit, Est, uel, Fuit, uel Erit, non propterea est oratio enuntiatiua, quoniam hęc nominum series unum quid est, non plura. non enim quia continenti, & uno quasi spiritu coniuncto, scilicet fuerint pronuntiata, hęc definitio erit una oratio. uerum cur una sit caussam, quærere aliena est ab hoc tempore tractatio. est autem una oratio enuntiatiua, uel quę unum significat, uel quæ nexu est una: multæ uero orationes sunt, quę non unum, sed multa significant, uel quę legitimo nexu carent.

SCHOLIVM.

Est autem.

Enunciationis genera ita diuidit, vt ab vna parte statuat affirmationem, & negationem, ab altera reliquas omnes, quas vocat ipsas quoque orationem vnam vinculo

culo & nexu. infra explicabit quomodo, & affirmatio, & negatio sint vna oratio. Vnum enim quod requiritur in orationibus enuntiatiuis est duplex, vt dicet.

Prima affirmatio deinde negatio.

Hic anteponit affirmationem negationi. antecellit enim dignitate, vt docet in posterioribus Analyticis. sunt autem affirmatio, & negatio primæ interpretes cogitationum animi, de quibus in hoc libro; in Analyticis tractentur reliqua genera, quæ sunt vna oratio nexu.

Atque oportet.

Nequis forte putet multa nomina, quæ vnum sint, & unum efficiant, esse orationem enuntiatiuam, monet sine verbo, vel casu verbi effici non posse orationem enuntiatiuam.

Etenim hominis definitio.

Si definitio multis iunctis nominibus constans, ex quibus efficitur vnum, quoad verbum desit, non est oratio enuntiatiua, multo minus alia sic iuncta nomina erunt oratio sine verbo.

Non enim quia continenti & uno quasi spiritu.

Hoc obiter infertur, vt moneat non esse expectandum, vt hic afferat caussam cur definitio sit vna oratio. hoc enim pertinet ad primam philosophiam.

Vel quæ vnum significat.

Ad significationem ergo pertinet, quod requiritur in affirmatione & negatione, vnum. & hoc declarabitur in sequenti doctrina, & reijcientur æquiuoca, & quę plura significant ab oratione enuntiatiua. in altero genere vnum pertinet ad compositionem, & nexũ plurium orationum, de quo nexu in sequentibus libris Analyticis, quæ carent hoc legitimo nexu, opponuntur coniunctis hoc nexu, quę orationes disiunctæ sunt inutiles ad conformandum syllogismum. sed hac de re in sequentibus libris Analyticis.

Nomen

Nomen igitur aut uerbum, pars significans esto tãtum affirmationis, uel negationis. quandoquidem nemo potest nomine tantum, uel uerbo sic loqui, ut enunciet, siue interroganti respondeat, siue non respondeat, sed arbitratu suo disputet. Ex his autem nempe ex nomine, & uerbo una existit Enuntiatio, quę simplex dicitur, idest quæ aliquid de aliquo, aut aliquid ab aliquo diuidendo enuntiat: altera existit enuntiatio ex his simplicibus enunciationibus iam composita quædam oratio.

Enuntiatio uero simplex est uox significans, quę uel ait uel negat in aliquo ex temporibus diuisis.

Affirmatio est enunciatio alicuius de aliquo.

Negatio est enuntiatio alicuius ab aliquo.

SCHOLIVM.

Separata enuntiatione ab omnibus alijs orationibus, quibus vtuntur Poetæ, & oratores, cum optant, cum alludunt, cum orant, cum obiurgant, & in eiusmodi versantur orationibus, vult ostendere duplicem esse Enuntiationem nempe simplicem, & compositam: simplicem, quam definit, indicat illam esse, quæ est subiectum genus huius methodi, & habet subiectas affirmationem, & negationem, quæ constant ex nomine, & verbo, quas simul definit: sunt enim ex his, quę proposuit pręcognoscẽda: Enuntiationem alterã compositam

a sim-

a simplici diuidit. est autem composita ex simplicibus orationibus, sicut sunt syllogismi, & omnia genera syllogismorum, & argumentorum, de quibus in Analyticis.

Siue interroganti respondeat.

Veritas quæritur tum mutua disputatione, vbi alter interrogat alter respondet, tum docendo quod faciunt ferè qui scribunt. itaque alibi sic expressit hanc sententiam. Neque scribentes, neque interrogantes: interrogans pendet ab arbitrio respondentis: scribens suo arbitratu docet. hi igitur quæ loquuntur, aut affirmando, aut negando loquuntur: cui non satisfacit nomen tantum, aut verbum tantum. atque hactenus, quæ in hac methodo præcognoscere oportet ante doctrinam tradendam.

Doctrina propositi generis.

Quoniam licet, & quod inest enuntiare ceu non insit, & quod non inest ceu insit, & quod inest ceu insit, & quod non inest ceu non insit, atque id in alijs etiam temporibus a præsenti, omne plane possibile est, & quod quis affirmauit negare, & quod negauit affirmare. itaque perspicuum est omni affirmationi oppositam esse negationem, & omni negationi affirmationem, & vocetur hæc oppositio Antiphasis nempe affirmatio, & negatio ex aduerso oppositę. dico autem Antiphasim eiusdem prædicati de eodem subiecto, ac non æquiuoce, & quæcunque alia præscripsimus aduersus sophisticas turbas.

SCHO-

SCHOLIVM.

Quod in superiore libro breuiter attigit, vt locus ille postulabat, affirmationis & negationis oppositarum semper alteram partem eße veram, alteram falsam, id nunc & copiose, & diligenter demonstratur: atque hęc est pręcipua doctrina huius libri, & quę propius, & magis intime attingit naturam enuntiationis simplicis, quę est genus subiectum huius methodi. Primum igitur imponit nomen huic oppositioni. vocetur, inquit Amphasis talis oppositio, & docet vnde gignatur, & indicat quibus conditionibus circunscribatur. Deinde indicabit quot sint eius species, quid proprium singularum, vt intelligatur quanam sit illa oppositio cui proprie conueniat id nomen Antiphasis, & quę pręcise semper habeat alteram partem veram alteram falsam, cuius vsus proprie adhibetur in scientijs, & demonstrationibus.

Quoniam licet.

Siquis attente animaduertat docendi consuetudinem in hoc Philosopho, videbit ipsum fere positis principijs pracognoscendis, hoc verbo Ἐπεὶ, *idest quoniam, ordiri tractandam doctrinam. sic etiam solet transire ab vna ad aliam subtexendam doctrinam. & quę sic assumuntur sententię, aut sunt per se notę, aut ex antecedentibus.*

Et quod inest.

ὑπάρχον, *idest, id quod inest apud Aristotelem est pradicatum, quod uel affirmatur de subiecto, vel negatur, & paulo post appellat subiectum* πρᾶγμα. *falsum igitur contingit duobus modis, vel cum mens componit non componenda, cui respondet affirmatio falsa, quae dicit inesse quod non inest, vt homo est lapis, vel cum mens disiungit non disiungenda, cui respondet negatio falsa,*

vt

ut homo non est animal. sic uerum contingit duobus contrarijs modis, cum mens uel componit componenda, cui respondet affirmatio uera, ut homo est animal, uel cum disiungit disiungenda, cui respondet negatio uera, ut homo non est lapis.

Omne plane possibile est.

Cum hæc doctrina de uero, & falso ita se habeat, sequitur fieri posse, ut negari possit, quod affirmatum est, & affirmari, quod alius negarit, ex quo gignitur oppositio negationis, & affirmationis.

Et vocetur hæc oppositio Antiphasis.

Est ergo quarta species oppositorum ab Aristotele consignata hoc nomine. Cicero uidetur appellare Antiphasim disiunctionem e contrarijs, & ea uocare contraria, cũ altera negat, altera pars ait. gignitur autem hæc contrarietas ex prædicato, quod dicitur inesse, & non inesse.

Dico autem Antiphasim.

De his conditionibus loco suo copiose dicitur. in primis autem, ut uidebimus, fugienda uocum homonymia, ut oratio unum significet.

Et quæcunque alia.

Hæc docentur post tractationem topicam, ubi de sophisticis Elenchis.

Quoniam rursus, quę in enuntiatione subiecti locum tenent alia sunt Vniuersalia, alia singularia, (dico Vniuersale, quod ea natura, præditum est, vt de pluribus prædicetur, singulare vero, quod non est ea prȩditum natura vt homo quidem est ex vniuersalibus, Callias vero ex singularibus,) & enuntiare necesse est aliquid inesse, vel non inesse interdum alicui

ex subiectis vniuersalibus, interdum alicui ex subiectis singularibus: siquis vniuerse enunciet aliquid inesse, aut non inesse in subiecto vniuersali, erunt contrariæ enũtiationes. dico autem in subiecto vniuersali enuntiare uniuerse, hoc modo, Omnis homo albus est. Nullus homo albus est. quando vero in aliquo ex subiectis vniuersalibus enunciet non uniuerse, non erũt hæ contrariæ enuntiationes: nihil tamen prohibet, quin ea, quæ per eiusmodi orationes significantur, possint esse interdum contraria. dico autem non vniuerse enuntiare in aliquo ex subiectis vniuersalibus, hoc modo, Est albus homo, Non est albus Homo. qui enim sic enunciauit, homine, quod est subiectum vniuersale, vsus est, non vniuerse. hęc enim vox, Omnis, non significat id, quod subiectum vniuersale, sed ipsum subiectum accipi vniuerse. in prędicato vero sic vniuerse ipsum de subiecto si prædicetur, talis enunciatio abhorret ab omni veritate. nulla enim affirmatio vera erit, in qua prædicatum vniuersale vniuerse prædicetur, veluti Est omnis homo omne animal.

SCHOLIVM.

Sicut modo affirmationes, & negationes oppositas gigni indicauit ex prædicato, quod dicatur inesse, vel non inesse, sic nunc ex varietate subiectorum existere varias species Enũtiationum oppositarum addiscemus, ac primam speciem docet esse ex contrarijs enuntiationi-

tioni-

tionibus. transit ad aliam, ad indicandas nimirum species omnes enuntiationum. & contra illos, qui putant Aristotelem de industria affectasse obscuritatem: sit hoc quod semper facit, vt vim verborum declaret, quibus vtitur, ex quo etiam intelligitur, & verba esse noua ad hunc vsum translata, & doctrinam, quę traditur, eße ipsius Aristotelis. & quæ antea sunt appellata genera, & species, & indiuidua, nunc vocantur vniuersalia, & singularia.

Et enuntiare necesse est.

Et primum, & hoc alterum assumptum sunt tum per se nota tum ex antecedenti doctrina.

Si quis vniuerse enuntiet.

Hæc est doctrina, quam subijcit post aßumpta, quę sit prima species ex subiecto vniuersali. & vocat contrarias enuntiationes, quando cum subiecto vniuersali coniungitur omnis, & nullus, quæ sunt voces contrariæ significantes illud subiectum vniuerse pertinere, aut non pertinere ad prædicatum, & exemplis subijcit oculis doctrinam suam.

Enuntiationes contrariæ.

Omnis homo albus est.)(Nullus homo albus est.

Quando vero in aliquo.

Hęc est species altera Enuntiationum, quas indeterminatas vocant.

Est albus homo.)(Non est albus homo.

Non est in his contrarietas orationis, sicut in superioribus, in quibus sunt omnis, & nullus, quæ sunt contraria. sententia tamen eiusmodi orationibus subiecta poterunt esse contrarię, vt si dicatur Homo est animal, Homo non est animal, quod perinde valet ac si dicatur. Omnis homo est animal.
Nullus homo est animal.

In prædicato vero.

Sic monet etiam in Prioribus Analyticis talem prædicationem, & esse ab usu alienam, & id enuntiare, quod esse nequeat.

Opponi porro Affirmationem negationi dico contradictorie, eam, quæ subiectum vniuersale vniuerse enuntiat, illi quæ non vniuerse, hoc scilicet modo.

Omnis homo albus est.)(Non omnis homo albus est.

Nullus homo albus est.)(Aliquis homo albus est.

Opponi autem contrarie Affirmationem vniuerse enuntiatam, & negationem similiter vniuerse enuntiatam hoc modo.

Omnis homo iustus est.)(Nullus homo iustus est.

Itaque has nefas est in eodem subiecto simul veras esse quas vero his opposuimus, possunt illæ aliquando in eodem simul esse ueræ videlicet.

Non omnis homo albus est, & Aliquis homo albus est.

Quæcunque igitur contradictorie pugnantes ex vniuersali subiecto vniuerse enuntiato constant, in his est necesse alteram ueram esse aut falsam, & quæcunq; ex singulari subiecto constant, ut est Socrates albus, non est Socrates albus. quęcunque vero constant ex subiecto vniuersali,

uerſali, quod uniuerſe non enuntiatur, in his nō ſemper altera vera altera falſa. ſimul enim verum eſt dicere Eſt homo albus, & non eſt homo albus: & Eſt homo pulcher & Non eſt homo pulcher. ſi enim turpis, etiam non pulcher. & ſi fuit aliquid, nec dum eſt. Sed videri poſſet hoc derepente obiectum animo abſurdum eſſe, quoniam hæc enuntiatio non eſt homo albus, videatur ſimul ſignificare idē, quod nullus eſt homo albus. verum neque idem ſignificat, neque ſimul neceſſario.

SCHOLIVM.

Opponi porro.

Tertia ſpecies, quæ eſt omnium maxima & princeps, & proprie vocatur Antiphaſis, quam & dicit opponi ἀντιφατικῶς, ideſt, contradictorie: in qua pugnat affirmatio negationi alio modo, quam in contrarijs. illic enim erant omnis, & nullus contrarie pugnantes, hic ex aduerſo contradicunt Omnis Non omnis, Aliquis & Nullus, & quod vniuerſe dictum eſt, enuntiatur in contradictoria non vniuerſe. itaque in hac tantum ſpecie ſemper altera pars contradictionis eſt aut vera, aut falſa.

Itaque has nefas eſt.

Contraria enim ſimul eſſe in eodem ſubiecto nō poßunt: idem enim non poteſt ſimul eſſe album, & nigrum.

Quas vero his oppoſuimus.

Innuit illas, Non omnis homo albus, Aliquis homo albus, quas noſtri vocant ſubcontrarias.

Quęcunque igitur contradictorie pugnantes.

Hic vocat Ἀντιφάσεις orationes, sic pugnantes, id est, contradictorie, vt ego exposui, cuius contradictionis vim indicat, vt habeat alteram partem veram alteram falsam, id quod tribuit etiam affirmationibus, & negationibus ex subiecto singulari, vt Est Socrates albus, Non est Socrates albus, quæ est quinta species Enuntiationum oppositarum.

Si enim turpis.

Aeque vera est, non de hoc homine, sed de homine vniuersali, homo pulcher est, & homo turpis est: ergo & hæc quæ idem significat, Homo non est pulcher.

Et si fit aliquid, necdum est.

Et hæc vtraque ęque vera est Homo pulcher est, & Homo fit pulcher: quod vero fit, nondum est. ergo & hæc vera Homo non est pulcher. itaque verum est de his, quas vocant indeterminatas aliquando vtrasque veras esse posse, vt cum his prædicatis mutabilibus.

Verum neque idem significat, neque simul necessario.

Breuis solutio propositæ dubitationis, & solutio pendet a voce, necessario: quod enim est necessario, semper sic est. uidimus autem supra posse quidem in ijs, quæ sic enuntiantur, non vniuerse talem subesse sententiam, quæ posit etiam enuntiari vniuerse per omne, & nullum vt in his, homo est animal, homo non est animal. ergo non semper, sic est, vt in prædicatis mutabilibus.

Manifestum autem est, & negationē unam esse debere unius affirmationis. oportet enim, ut idem prædicatum neget negatio, quod affirmauit affirmatio, & ab eodem aliquo disiun-

iunctum ſubiecto, uel ex ſingularibus, uel ex uniuerſalibus vniuerſe enuntiatio, aut non vniuerſe, hoc modo uidelicet, eſt Socrates albus Non eſt Socrates albus. quod ſi aliud aliquod prædicatum negatio ſeiungat ab eodem ſubiecto, aut ab alio ſubiecto, idem prædicatum, non erit ea negatio illi affirmationi oppoſita, ſed enuntiatio diuerſa. eodem opponũtur modo Omnis homo eſt albus, Non omnis homo eſt albus, & Aliquis homo eſt albus, Nullus homo eſt albus, & Eſt homo albus, Non eſt homo albus. Vnam igitur affirmationem uni opponi negationi contradictorie dictum eſt, & quæ ſint hę; & quę opponuntur contrarie alias eſse, & quę ſint, dictum eſt, & nõ omnem Antiphaſim id habere, ut ſit uera aut falſa, & cur & quando pars altera, ſit uera, uel falſa.

SCHOLIVM.

Quod tetigit in principijs præcognoſcendis de Enuntiatione vna, & quod poſtea inuenta Antiphaſi in initio tradendæ doctrinæ, ſimiliter breuiter poſuit in conditionibus Antiphaſis, id nunc loco ſcilicet ſuo docet quomodo oporteat vnam negationem vni opponi affirmationi.

Oportet enim.

Primum in quo poſitum, vt Antiphaſis una ſit, eſt, ut in affirmatione, & negatione ſit idem prædicatum, & idem ſubiectum. nam ſi uel prædicatum, uel ſubiectum

mutetur, non modo non erunt opposita, sed erunt diuersa genera enuntiationum.
Vnam igitur affirmationem.
Cum vult transire ad aliam doctrinam solet repetere, quæ docuit.
Et non omnem Antiphasim id habere.
Accipit Antiphasim pro genere, quod continet quinque modos predictos oppositionum.
Et cur & quando pars altera sit vera, vel falsa.
Intelligit Antiphasim contradictorie oppositam, & alteram ex subiecto singulari. in his, si altera pars sit vera, necesse est alteram partem esse falsam, idest, si sit falsa, alteram esse veram.

Quinque modi oppositionum.

Contrarie.

Omnis homo est albus. *Nullus homo albus.*



Subcontrarie.

Aliquis homo albus. *Non omnis homo albus.*

Ex subiecto singulari.

Socrates est albus.
Socrates non est albus.

Indeterminata.

Homo est albus.
Homo non est albus.

In oppositis contradictorie, & ex subiecto singulari altera pars vera altera falsa.

Vna uero est affirmatio, & negatio, quæ unum de uno significat, siue subiectum uni-

uersale

uersale enuntietur uniuerse, siue non, ut omnis homo albus est, Non omnis homo albus est: est homo albus, non est homo albus: Nullus homo albus, Aliquis homo albus, si album vnum significat: quòd si nomen vnum impositum sit rebus duabus, ex quibus non conflatur unum, non erit una affirmatio, neque negatio, ut siquis uestis nomen imponat equo & homine, hæc enuntiatio, Est uestis alba, non est una affirmatio, nec ex ea fit vna negatio. nihil. n. hoc differt ac si dicatur, Est homo equus albus, & hoc perinde est, ac si dicatur Est homo albus, & est equus albus: si igitur hæ multa significant, & sunt multa, clarum est primam quoque, uel multa, uel nihil significare. non enim est aliquis homo equus. quare nec in ijs enuntiationibus oppositis necesse est Antiphasim ex altera parte ueram esse ex altera falsam.

SCHOLIVM.

Supra declarauit verba illa Dico autem Antiphasim eiusdem subiecti de eodem prędicato, nũc declarat, quod sequebatur, ac non equiuoce. oportet enim absit a prædicatis, & subiectis omnis homonymia. nam vnam eße orationem enuntiatiuam exposuit in principijs prę cognoscendis, quę vnum significaret. hic igitur hoc vnum quod requiritur, vt Antiphasi, sic exemplo explicat, vt nihil esse poßit explicatius.

Ex quibus non conflatur vnum.

Docebit infra ex quibus multis conficitur vnum.

In

In his igitur, quæ sunt, & quæ fuerunt est necesse Affirmationem, vel Negationem esse veram, aut falsam. atque in Enuntiationibus ex subiecto vniuersali vniuerse enuntiatio semper necesse est Antiphasim ex altera parte veram esse ex altera falsam esse, & in illis, quæ cõstant ex subiecto singulari, sicut dictum est. in illis vero, quę ex subiecto uniuersali non uniuerse dicũtur, id minime est necesse. ac de his quoq. dictum est. Cęterum in his, quæ ex subiecto singulari cõstant in tempore futuro non similiter se res habet.

SCHOLIVM.

In his igitur, quæ sunt.

Quę nunc sunt, habent adiunctam necessitatem, vt ita sint, sicut sunt. & multo magis, quæ fuerunt cum non possint non fuisse. in duobus igitur his temporibus Antiphasis, in qua negatio opponitur affirmationi contradictorie, & quę est ex subiecto singulari, in his duobus temporibus aperte pręsefert, quam habeat partem veram, & quam falsam: vt si dicas Socrates viuit, Socrates non viuit, & Socrates fuit, Socrates non fuit.

Semp er necesse est.

In oppositis contradictorie, id semper est necesse. hoc verbum, semper, non repetit in illis, quę constant ex subiecto singulari, sed dicit, sicut dictum est. Erat autem subiecturus id quod expectabatur post illud, a quo incępit repetitionem superioris doctrinæ in tẽpore pręsenti & pręterito, quomodo se haberet hæc doctrina in tempore futuro.

Sic igitur subijcit.

Cęterum in his, quæ ex subiecto singulari constant in tem-

tempore futuro non similiter se res habet.

In hac, inquit, Antiphasi Hic homo cras morietur, Hic homo cras non morietur, non ita se res habet, ut sicut in præsenti, & preterito distincte cognoscatur, quæ pars sit vera & quę falsa. cuiusmodi vero sit hoc discrimen, non potest recte intelligi, nisi simul refellatur eorum opinio, qui uolebant omnia eße, & fieri neceßario. Est quidem hac quęstio de Fato vetus, & difficillima, quę de natura rerum tollit accidens, & id quod potest in vtrālibet partem euenire, sed Aristoteles eam tractat accommodate pro ratione auditorum, & huius temporis. sic igitur aggreditur hanc disputationem.

Nam si omnis affirmatio, aut negatio, uel uera, uel falsa est, omnem etiam rem esse, aut non esse necesse est. quare si unus dicet aliquid fore, alter idem hoc negabit fore, perspicuum est oportere alterum ex ipsis uerum dicere, si omnis affirmatio, aut negatio uera, uel falsa: utraque enim simul non erunt in eiusmo di. si. n. uerum est dicere aliquam rem fore albā aut non fore albam, necesse est ea res sit alba, aut non sit alba, ac si sit alba, aut non sit alba, uerum fuit affirmare, aut negare & cui res nō respondet ea falsa oratio, & quæ est falsa oratio, ei res non respondet. quare necesse est semper affirmationem, aut negationem ueram esse, uel falsam. nihil ergo, aut est, aut fit, cuius caussa sit fortuna: nihil est qđ æquè possit uel esse, uel nō esse. nec res aliqua erit, aut nō erit, sed erunt omnia ex necessitate, nec quicquam

euc-

Et cui res non respondet.

Vtroque modo conuertit argumentum ab ipsa re ad orationem, tum ab oratione ad rem. sic ex hoc quasi lusu conuersionis argumentorum concludit probationem assumpti ex necessitate, quæ est in omnibus, quæ sunt & fiunt. itaque sequitur.

Nihil ergo, aut est, aut fit.

Ex hac ratione sequitur nihil esse in rerum natura fortuitum, nullam esse fortunam, nihil accidere casu, nihil æque esse posse, & non esse, sed omnia regi fati necessitate. quę omnia postea dicet absurda, & ab omnium sensu abhorrentia.

Nec res aliqua erit, aut non erit.

Sic enim loquimur de rebus, quę pertinent ad incertos euentus, quod tollitur, si omnia sint, & fiant necessario, ex necessitate, quæ statuatur in omni Antiphasi cuiusque temporis.

Insuper si res hæc nunc est alba, verum fuit dicere prius, quam esset alba, eam futuram esse albam. quare semper verum fuit dicere omnia quæcunque fiunt, ea esse aut fore: quòd si semper verum fuit dicere, ea esse aut fore, non poterant non esse, aut nō fore: quod vero non potest non fore, fieri nequit, ut ne futurum sit: at quod fieri nequit, vt ne futurum sit, id necessario futurum est. omnia ergo, quæ futura sunt, necessario sunt futura: nihil ergo pertinet ad incertos euentus, ut & possit esse, & non esse, nec fortuna erit vllius rei caussa. quod enim fortuito fit nullam habet necessitatem. sed nec illud dici potest neutrum fore uerum: hoc ui-

delicet

delicet modo, hæc res neque erit neque non erit: nam sic primo affirmationi falsæ opponitur negatio non uera, & negationi falsæ affirmatio non uera: Et præterea, si uerum fuit dicere hanc rem futuram esse albam simul, & magnam, oportet utraque simul esse, ac si dicatur id fore cras, id erit cras: quod si neque erit, neque non erit, nec sic fuerit euentus vllarum rerum incertus, vt æque possint esse, & non esse: uerbi caussa siquis dixerit cras fore Naumachiam, oporteret enim neque illam esse neque non esse.

SCHOLIVM.

Insuper si res hæc nunc est alba.

Alterum argumentum, quo vtebantur, qui contendebant esse omnia, & fieri ex necessitate. nam ab ea necessitate, quae est adiuncta rei, quando res est, arguebant omnia simpliciter, quę sunt & fiunt, esse, & fieri necessario. sic enim connectabant argumentum de hac re, quę nunc est alba, semper verum fuit dicere, hac res erit alba, ergo de omnibus quacunque fiunt, semper fuit verum dicere, ea fore. argumentum ab hoc tali antecedente, quod est cum hac conditione, inferens consequens simpliciter sine vlla adiuncta conditione, de qua fallacia dicet in fine.

Quod si semper verum fuit dicere.

Per connexionem Enuntiationum, quae idem valent vt postea suo loco videbimus, ostendit necessitatem esse in hac enuntiatione.

Semper uerum fuit dicere id futurum esse.

Non

Non possibile ergo erat quin hoc futurum esset.

Si non possibile ergo impossibile quin esset.

Ergo Necessarium erat hoc fore.

Sic ergo etiam hoc argumento colligebant esse, & fieri omnia necessario.

Sed nec illud dici poterit neutrum fore.

Adiuuat rationem tollentium e natura casum, & fortunam, sicut fecit in primo argumento de Antiphasi. Nec hic dici poterit, neque erit neque non erit. nam primo interiret Antiphasis, deinde, nec sic statueretur incertus rerum aliquarum euentus, aut casus, aut fortuna.

Hæc sunt absurda, & eiusmodi alia, quæ eueniunt ex hac sic uniuerse posita sentētia, Omnis Affirmationis, & negationis oppositarum: siue Antiphasis constet ex subiecto uniuersali uniuerse enuntiato, siue constet ex subiecto singulari, alteram distincte partem esse ueram alteram falsam, & nihil esse in his, quæ fiunt, quod pertineat ad incertos euentus, sed omnia esse, & fieri ex necessitate. itaque nec opus esset consultare, nec aliquid agendum suscipere, quasi si id fecerimus, illud futurum sit, si non fecerimus, non sit futurum. nihil enim prohibet vnum aliquē affirmare ad decies mille annos hoc futurum, alterum negare id futurum. quare fuerit necessario, quod alter ex ipsis tunc uere enuntiauerit, quamquam nihil

refert

refert vtrum aliqui elocuti sint Antiphasin, an non elocuti; perspicuum enim est ita se res habere, tametsi hic non affirmet quippiam, alter neget. non enim ex affirmando, aut negando erit, aut non erit res, neque ad decies mille annos magis, quam ad quantumcunque temporis spatium. quare si in quolibet temporis spatio, ita se res habuit, vt alter uerum diceret, hoc necesse fuit, ut esset. & quidlibet eorum quæ fiunt, eiusmodi fuit, ut ex necessitate fieret. quod enim uere dixit aliquis futurum esse, fieri non poterat, quin esset, & quod fuit semper fuit uerum dicere ipsum futurum esse.

SCHOLIVM.

Hæc sunt absurda.

Abhorrent enim a communi sensu. sunt enim in natura casus quoque & fortuna causæ naturales. hęc vero necessitas pendet ab illo vniuersali enuntiato, a quo cœpit initium hac disputatio.

Itaque nec opus esset consultare.

Ergo frustra datum esset homini iudicium, & cõsilium, nulli motus animorum eßent voluntarij, liberi arbitrij potestas nulla. quibus ex rebus sequitur omnis vitæ perturbatio.

Nihil enim prohibet vnum aliquem affirmare.

Irridet hanc opinionem, si hęc neceßitas sit in omni Antiphasi, quod frustra laborandum in agendo, quasi ex agendo aliquid expectetur, cum poßit vnus affirmare idem futurum ad decies mille annos, & alter idem negare, sitque neceßitas in Antiphasi id fore, quod fuerit verum, vel affirmare, vel negare.

Quan-

Quanquam nihil refert.

Veritas rerum, vt dictum est, in superiore libro, non pendet ab oratione, sed contra veritas orationis pendet a veritate rei. ex quo etiam intelligi potest, quam imbecillo fundamento nitatur horum disputatio. Aristoteles tamen ita hoc dicit quasi disputans pro tuenda hac sententia, & declaranda. itaque & illud corrigit dictum Ad decies mille annos. & tandem concludit assumptam disputationem ab illa sententia vniuersali, quæ vult omnia regi necessitate Fati: a qua rerum necessitate vim aßumat orationis necesßitas.

Si hæc igitur esse non possunt: (videmus enim res agendas, & quæ sibi proponunt homines fore, initium habere, & a consultando, & ab agendo aliquid: atq. in his, quæ non semper agunt, nec semper sunt, esse illud, quod æque potest esse, & non esse, in quibus vtrumq; potest euenire, vt & res sit, & non sit, atq. adeo vt aliquid fiat, & non fiat, & multa nos aperte scimus eiusmodi esse, verbi caussa hæc uestis secari potest, & non secabitur, sed prius attrita interibit, quæ pariter etiam potest non secari, non enim poterat illa, prius quam secaretur, attrita interire, nisi potuisset, non secari: sic est in alijs quæcunque fiunt cum simili adiuncta potentia, vel agendi, uel patiendi:) si hæc igitur esse non possunt, manifestum est non omnia esse, aut fieri ex necessitate, sed alia euenire utram in partem contigerit, in quibus nihilo magis affirmatio, quam negatio uera, aut falsa

Verbi caussa hæc vestis secari potest.
Potentia dupliciter accipitur, & agendi aliquid, & patiendi id quod nos expressimus.
Si hæc igitur.
Assumptum repetendum curauimus, vt melius consequens doctrina intelligeretur. hęc autem est doctrina non esse vnum tantum rerum genus, sed triplex. Aliæ enim res semper sunt, & necessario, aliæ quæ vtcunque contingunt nihil habentes firmitatis, in quibus sunt fortuita, & quæ casu fiunt. de hoc cōtingente nulla est quęstio, nulla scientia: Aliæ res sunt contingentes, vt plurimum, de quibus multæ artes sunt. sunt enim scientię, & Artes de his, quę semper sunt, & quę sunt, & fiunt, vt plurimum.
In quibus nihilo magis affirmatio.
De hoc contingente nulla quæstio est.
Alia in quibus altera pars.
Appellant contingens vt plurimum, de quo in sequentibus libris Analyticis.

Rem porro existentem esse quando est, & rem non existentem non esse quando non est, vtrumque uerum est necessario. non tamen ex hoc sequitur omnem rem existentem esse necessario, & non existentem non esse necessario. nō enim idem est si dicas omnem rem existentem esse necessario quia nunc est, & si ita simpliciter enunties omnis res existens est necessario. sic est & de re non existente. Et in Antiphasi eadem ratio est, Esse aut non esse totum coniunctę, & uerum est, & necessarium; & fore, aut non fore: non tamen

diuidendo Antiphasim, ut dicas alteram distincte partem esse necessario, hoc scilicet modo. Necesse est Naumachiam cras fore, aut non fore: non tamen hoc modo Necesse est Naumachiam cras fore, neque distincte negando Necesse cras Naumachiam non fore, illam fore, aut non fore necessarium est Antiphasi coniuncte ennntiata. Quapropter quoniam orationis ueritas similiter se habet, sicut rerum ueritas, clarum est, quæcumque res sunt eiusmodi, ut id, quod fortuito eueniat, & cõtraria suscipiãt, in his oportere Antiphasim similiter se habere, id quod accidit in his, quæ non semper sunt, aut non semper non sunt. in his enim est necesse alteram partem Antiphasis ueram esse, aut falsam, non tamen hanc distincte uel illam, sed qđ ferat incertus euentus. & magis quidem alteram esse uerã, non tamẽ iam certe ueram esse, aut falsam. itaque minime necesse est omnis affirmationis, & negationis oppositarum alteram distincte partem esse ueram alteram falsam. non enim sicut in his, quæ sunt, ita se res habet etiam in his, quæ non sunt, sed possunt esse, & non esse, quorum ueritas, ita se habet, quemadmodum dictũ est.

SCHOLIVM.

Indicat secundi argumenti fallaciam, quæ ab antecedente assumpto cum tali cõditione infert consequens simpliciter, id est, sine vlla conditione.

Et

Et in Antiphasi eadem ratio est.

Simili ratione ostendit moderari oportere veritatem primi argumenti de Antiphasi. verum enim & necessarium esse si dicitur coniuncte, videlicet, aut esse aliquid, aut non esse, aut fore, aut non fore: non esse verum in omni Antiphasi, si distincte dicatur altera pars vera, vel falsa, quod volebant, qui omnia concludebant sub fati necessitate.

Quapropter quoniam orationis veritas.

Conclusio proposita quæstionis, cum res aliæ, vt dictum est, sint necessariæ, de his non est quæstio, aliæ sint fortuitæ aliæ contingentes, vt plurimum sic potius quam contrario modo, vt hominem canescere in senectute in vtroque genere contingentis in subiecto singulari in tempore futuro vtraque pars Antiphasis coniuncta, non distincte affirmatio, aut negatio vera. in contingentibus, vt plurimum alterum quidem magis verum, potest tamen & contrarium euenire.

Itaque minime necesse est.

Falsum igitur est illud assumptum, a quo sumpsit initiū hac disputatio, nec vniuerse verū est in omni Antiphasi alteram distincte partem veram esse alteram falsam, sed non similiter, idest, non distincte, sed coniuncte vera est tota Antiphasis in ea, quæ constat ex singulari subiecto in tempore futuro in illis rebus, quæ pertinent ad vtrumque genus contingentis, quę res oriuntur, & intereunt, nec aut semper sunt, aut semper non sunt, vt cras pluet, aut non pluet coniuncte dictum verum est, & necessarium: vnum enim tantum ex his duobus futurum est, sed non distincte hoc, vel illud, verum vtcunque eueniet: sic in altero genere contingentis, Hic homo canescet in senectute, Hic homo non canescet vtrumque verum coniuncte enuntiatum, non distincte, quamquam

magis verum est canescet, quam non canescet, potest tamen & hoc euenire.

Hactenus igitur tradita est prima doctrina de Antiphasi, cuius sunt quinque modi. est enim Antiphasis ex subiecto vniuersali, vel ex oppositis contrarie, vel ex oppositis contradictorie, vel ex oppositis subcontrarie, vel ex oppositis indeterminate, & quartus modus est ex subiecto singulari. ex his opposita contradictorie, & quę constat Antiphasis ex singulari subiecto in tempore preterito, & pręsenti proprium hoc habent, vt distincte pars altera Antiphasis sit vera, altera falsa, in futuro non similiter, sed indistincte, vt dictum est. Relinquitur ergo, vt sola oppositio contradictoria habeat semper hoc proprium, vt pracise distinguat verum a falso. & hac est uera, & propria Antiphasis, qua doctrina vtuntur, ex qua sunt illa duo Axiomata docentibus familiarissima, oportet aut affirmare, aut negare, & idem non potest simul affirmari, & negari.

Verum quoniam affirmatio est, quæ significat enuntiari aliquid de aliquo: hoc uero nomen est, uel illud cui non est impositum nomen, & vnum oportet esse, & de uno id, quod in affirmatione positum est, & quid sit nomen quid sit illud, cui non est impositum nomen, dictum est antea, Non homo enim nomen non uoco, sed infinitum nomen: nam unum significat nomen infinitum: sicut non ualet uerbum non dico, sed infinitum uerbum: cum hæc ita sint, erit profecto omnis affirmatio, & negatio, uel ex nomine, & uerbo, uel ex infinito nomine, & uerbo. nam sine uerbo nulla est affirma-

tio,

tio, neque negatio. est enim, uel fuit, uel erit, uel fit, uel alia eiusmodi uerba sunt, quibus conuenit posita definitio. nam præter eam rem, cuius sunt nota, significant etiam tempus. itaque prima erit affirmatio, & negatio, Est homo Non est homo: deinde, Est nō homo, Non est non homo. Tum rursus, Est omnis homo, Non est omnis homo: Est omnis non homo, Non est omnis non homo, & in alijs temporibus extra præsens est eadem ratio.

SCHOLIVM.

Quinque modi Antiphasis, de quibus supra, oriuntur ex varietate subiectorum, quę uel uniuersalia sunt, uel singularia. Nunc docet syluam multiplicem affirmationum, & negationum ex nomine, & ex infinito nomine. nulla hic habetur ratio subiecti singularis, quia pertinet ad sensum, & hic non quęritur proprium Antiphasis in vero, & falso distinguendo, sed quęritur tantum uarietas affirmationum, quibus sua respondent negationes. sunt autem nomina infinita, quæ in enuntiatione seruiunt, & pro subiecto, & pro prędicato. hinc ingens uarietas, & multitudo affirmationum existit, quibus singulis, simul docet, quæ opponatur negatio.

Verum quoniam affirmatio.

Sic transit ad nouam doctrinam, & quæ assumuntur, sunt nota ex positis principijs, & ex antecedente doctrina.

Nam vnum significat.

Si oportet, ut positum est in principijs, & declaratum est in superiore tradita doctrina, non esse homonyma, quæ ponuntur in Antiphasi subiecta, & prædicata, ex-

eluderentur penitus ab oratione enuntiatiua nomina infinita, nisi significarent vnum.

Cum hæc ita sint.

Hoc addidi repetendo per Epanalepsin sententiam, quę longa intercurrit.

Nam sine verbo.

Et hoc antea positum est.

Itaque prima erit affirmatio.

In hac indicanda multitudine affirmationum, & negationum incipit a simplicioribus, quæ constant ex subiecto tantum, & verbo, & anteponit, vt par est in hoc ordine, quæ sunt ex nomine his, quæ sunt ex infinito nomine. hęc vero prima claßis continet duodecim affirmationes, & totidem negationes.

Sed quando, Est, tertium adiacet prædicato, tunc duæ dicuntur oppositiones. sic autem dico, Est iustus homo, hic dico, est, tertium adnecti cum prædicato, nomen seu verbum in affirmatione. itaque ob id quatuor erunt hæc enuntiata, quorum duo sibi mutuo respōdentia, vt affirmatio, & negatio oppositæ in ordine aiendi, & negandi, se habebunt, vt priuationes: altera duo non; sic autem dico, Est, coniungendum esse, vel cum Iusto, vel cum non Iusto, sic & eius negatio. quatuor igitur erunt, id quod indicabit subiecta descriptio, Est iustus homo, eius negatio, Non est iustus homo: Est non iustus homo, eius negatio, Nō est non iustus homo. Est enim, & Non est hoc in loco adiunctum erit iusto, & non iusto prædicatis.

atque hæc quemadmodum in Analyticis dictum est, sic constituta sunt in ordine aiendi, & negandi. similiter se res habebit si etiam affirmatio conficiatur ex subiecto nomine vniuersali vniuerse enuntiato, hoc modo, Omnis est homo iustus, huius negatio, Non omnis est homo iustus: Omnis est homo non iustus, huius negatio, Non omnis est homo non iustus, hoc differt inter has, & superiores, quòd quę sunt per diametrum non similiter veras esse contingat, aliquando vero contingat.

SCHOLIVM.

Altera claßis affirmationum, & negationum est ex subiecto quidem nomine tantum, sed ex prędicato, & nomine, & infinito nomine: inter quas enuntiationes potest esse coniunctio quædam, vt postea docebit, & hic obiter innuit.

Est, tertium adiacet prędicato.

In enuntiationibus ex prædicato, & subiecto, Est, adhæret prædicato, cuius opera prædicatum, vel affirmatur, vel negatur de subiecto. quod vero vocat, Est, seu nomen seu verbum, cum in enuntiatione significat cum tempore, vt homo est iustus, uocatur uerbum, cum nullum designat tempus, vt homo est animal, fit quasi nomen vbi, vt dictum est antea, connectit prædicatum cum subiecto.

Se habebunt vt priuationes.

Circa finem primi libri Priorum Analyticorum vocat priuationes ueluti sunt iniustum, & inæquale, ad quorum similitudinem in ordine aiendi, & negandi docet

statui

statui debere hæc, quæ vocat nomina infinita, nō iustum, non æquale. hic igitur, quæ habent prędicatum ex nomine infinito, sic ordinandæ sunt, sicut priuationes in conficienda affirmatione, & negatione, & rem subijcit oculis subiecta descriptione.

Hoc differt.

Quia dixit similiter se res habebit. similitudo quidem est, quod pertinet ad ordinem aiendi, & negandi differunt, quia non similiter simul verę sunt, quæ per diametrum sibi mutuo respondent.

Est iustus homo.)(*Non est iustus homo.*



Est non iustus homo.)(*Non est non iustus homo.*

Est iustus homo, & Non est non iustus homo sunt simul veræ, & reliquę duæ similiter se mutuo cnnsequuntur. non sic est, in his alteris quatuor.

Omnis est homo iustus. *Nō oīs est homo nō iustus.*

Per dia- metrum.

Oīs est homo nō iustus. *Nō oīs est homo nō iustus.*

Quę sitæ sunt per diametrum, altera est vniuersalis altera particularis inter quas, vt videbimus infra non potest esse mutua consequentia. non enim quia sit vera Non omnis est homo non iustus, sequitur verā esse Omnis est homo iustus. quod interdum cōtingere possit has etiam esse simul veras, id fiet vi prædicatorum, vt si hic pro iustus, & non iustus reponas animal, & non animal. id sicut antea loco non dissimili subobscure tangit, quia hic agitur proprie de natura orationis, non de natura rerum. obiter autem innuere voluit hoc ne-

scio,

ſcio, quid de mutua conſequentia affirmationum, & negationum de qua paulo poſt dicetur. Atque in hac altera claſſe indicantur ſimiliter altera duodecim affirmationes cum ſuis negationibus.

Atque hæ quidem geminæ oppoſitiones, ſic ſibi mutuo reſpondent in ordine aiendi, & negandi: Duæ vero aliæ exiſtunt, quæ habent non homo, ut vnũ quoddam ſubiectum appoſitũ hoc modo, Eſt iuſtus non homo, Non eſt iuſtus nõ homo, Eſt non iuſtus non homo, Non eſt non iuſtus non homo: at plures his non ſunt oppoſitiones, & hæ ab illis ſuperioribus ſeiunctæ ipſæ per ſe erunt vtpote, quæ ſubiecto vtuntur hoc, quod eſt non homo, quæ vero Enuntiationes, non, eſt, ſed aliud requirunt verbum, vt in verbis valere, & ambulare, in his idem efficit ſic poſitum verbum, ac ſi adhibitus eſſet ipſum, eſt, vt Valet omnis homo Non valet omnis homo: Valet omnis non homo, Non valet omnis non homo. non enim dicendum eſt non omnis homo, ſed ipſum, non, adiungendum eſt huic voci homo, Nam vox, omnis, non ſignificat ſubiectum vniuerſale, ſed ipſum ſubiectum vniuerſe enuntiari, quod ex hoc perſpicuum eſt: Valet homo Non valet homo: Valet non homo Non valet non homo. hæc enim enuntiata ab illis differunt, quia non dicta ſunt vniuerſe. quare omnis, aut Nullus adiuncta

ſub-

subiectis vniuersalibus nihil aliud significant, quam subiecta efferri vniuerse in affirmatione, & negatione. alia igitur eadem agglutinare oportet cum subiecto.

SCHOLIVM.

Tertia classis, & ultima affirmationum, & negationum ex subiecto infinito cum prædicato nomine, & infinito nomine, nec præter has tres datur alia varietas, nec possunt esse his plures numero oppositiones. sunt autem trigintasex, uidelicet duodecim in vnaquaq; classe cum uerbo est, fuit, & erit.

Vt vnum quoddam subiectum.

Et hic locus clare dicit nomina infinita rem unam significare. siue igitur adhibeantur pro subiecto, ut substantia, siue pro prædicato, ut accidentia cum apposita negatione, unum significant, ut dictum est. aliter nullus esset eorum usus in oratione enuntiatiua, est autem horum usus, ut uidemus, in hac doctrina Aristotelis.

Seiunctæ.

Propter diuersum subiectum nullam habent inter se coniunctionem, sicut habent, quæ constant prędicato finito, & infinito cum eodem subiecto.

Quæ vero enuntiationes.

Mutato uerbo idem seruatur ordo affirmationum, & negationum.

Alia igitur.

Intellige prędicata, uel nomina, uel infinita nomina.

Eadem.

Videlicet, quæ sunt in enuntiatis non uniuerse etiam in his, quę habent omnis, uel nullus agglutinare oportet, id quod facit proprie uerbum adiacens prędicato. est igitur idem ordo in omnibus aiendi, & negandi.

Sed

Sed quoniam contraria negatio est huic affirmationi, Omne est animal iustum, Nullum est animal iustum, has quidem clarum est nunquam esse posse simul veras, nec simul in eodem subiecto, quæ vero his opponuntur, fuerint aliquando simul veræ, videlicet non omne est animal iustum, & est aliquod animal iustum: ac se mutuo consequuntur hæ quoque Omnis est homo non iustus, Nullus est homo iustus, & est non omnis homo non iustus, & illi opposita, Est aliquis homo iustus. oportet enim dari hanc particularem. manifestum autem in his quoque quæ habent subiectum singulare, si verum sit illud quod negat, qui interrogatus est, uerum etiam esse idem affirmare: hoc modo, Est ne Socrates sapiens? non; Socrates ergo est, non sapiens: in vniuersalibus non est uera, quæ similiter dicatur, sed vera est negatio, vt omnis ne homo sapiens? non: omnis ergo homo non sapiens, hoc enim falsum est, sed illa vera Non omnis ergo homo sapiens, quæ contradictorie opposita est, cum illa altera sit contraria.

SCHOLIVM.

Transit cum hac repetitione doctrinę iam traditę ad nouam doctrinam, in qua docet nouam affectionem, quæ accidit affirmationibus, & negationibus, quæ idem ualent, & se mutuo consequentibus, quam rem supra attigit, ubi permanente eodem subiecto mutabatur prædi-

catum

catum ex nomine in infinitum nomen. ex hac autem doctrina Aristotelica de affirmationibus, & negationibus idem valentibus colligitur, has in his conditiones requiri, mutationem prædicati ex nomine in infinitum nomen, permanente eodem subiecto, & eadem quantitate. vocant quantitatem, vt si altera sit vniuersalis, vel particularis, vel indeterminata, eodem modo sit etiam altera.

Affirmationes, & negationes se mutuo consequentes.

Omnis est homo non iustus.	*Non oīs est homo nō iustus.*
Nullus est homo iustus.	*Aliquis est homo iustus.*
Nullus est homo non iustus.	*Aliquis est homo nō iustus.*
Omnis est homo iustus.	*Non omnis est homo iustus.*

Oportet enim dari hanc particularem.

Nisi enim des Est aliquis homo iustus idem valere, quod Non omnis est homo non iustus, cogeris dare ipsius contradictoriam, oportet enim aut affirmare, aut negare, quo axiomate omnes docentes vtuntur.

Manifestum autem in his quoque.

Hac comparatione a subiecto singulari ad vniuersale voluit docere id, quod modo dixi in his affirmationibus & negationibus oportere, quam vocant quantitatem eandem esse. idem enim ualent hæ, Socrates non est sapiens, & Socrates est non sapiens, quoniam utraque est singularis, non ualent hæ Non omnis homo est sapiens, & Omnis homo est non sapiens, quoniam altera est particularis, altera uniuersalis.

Cum

Cum illa altera sit contraria.

Vocat contrariam hanc. Omnis homo est non sapiens illi interrogationi, Omnis ne homo est sapiens, quia idem ualet, quod Nullus homo est sapiens.

Nomina uero & uerba infinita, ceu sunt Nō homo, & Non iustus, idest subiecta, & prædicata infinita possent uideri negationes affirmationibus oppositæ sine nomine, & uerbo, sed non sunt. semper enim oportet negationem ueram esse, aut falsam. qui uero dixit, Non homo, nihilo magis, quam qui dixit, Homo, quin etiam minus id, quod uerum est, quā id, quod falsum dixit, nisi aliquid adiunxerit. congruit autem cum nulla illarum, neque idem significat, Est omnis non homo iustus, nec quæ huic contradictorie opponitur, Non est omnis non homo iustus, sed est omnis non iustus non homo idem significat, quod Nullus est iustus non homo.

SCHOLIVM.

Ita veluti monens, quod pertinet ad prædicata, & subiecta infinita transit ad illas, quæ cum alio subiecto ceu est non homo idem valent. dictum est autem oportere idem esse subiectum, & eandem quantitatem: mutatur prædicatum ex finito in infinitum nomen, & quod affirmatum est, negatur: erunt igitur etiam hæ idem significantes.

Est

Est omnis non homo non iustus.
Nullus est iustus non homo.

Nullus est non homo non iustus.
Omnis est non homo iustus.

Non est omnis non homo non iustus.
Est aliquis non homo iustus.

Aliquis est non homo non iustus.
Non omnis est non homo iustus.

Appellat uerba infinita, quę tenent locum prædicati.

Quin etiam minus.

Si conferas nomen cum nomine infinito est quasi si compares Ens, non enti.

In alium porro locum traiecta nomina, & verba idem significant, ceu Est albus homo, Est homo albus. nisi enim ita sit eiusdem prædicati de eodem subiecto plures erunt negationes: demonstratam est autem vnius affirmationis vnam esse negationem. nam huius, Est albus homo negatio, Non est albus homo: huius autem, Est homo albus, si non sit eadem cum illa, Est albus homo, erit negatio, vel non est, nō homo albus, vel non est homo albus. sed altera nempe, Nō est nō homo albus, est illius negatio Est non homo albus: altera vero huius affirmationis est albus homo: itaque duæ negationes erunt vnius affirmationis. Quod igitur traiecto nomine, & uerbo vna fiat affirmatio, & negatio, manifestum est.

SCHO-

SCHOLIVM.

Vidimus quomodo mutato prædicato contingat, vt duę orationes altera aiens, altera negans, idem significent: in subiecto vero sic mutato idem non contingere. apte sequitur alia doctrina, quid non efficiat, & quid efficiat, vt orationes sint multæ, & non sint multæ, & vnum multa significent, & vnum plura significet. at primo, quod leuius est ostendit traiectionem, vel verbi, vel subiecti, vel prædicati non efficere varias, vel affirmationes, vel negationes.

Demonstratum est autem.

Nisi autem ita esset, periret, & nulla esset Antiphasis, ex qua est illud celeberrimum axioma: oportet, aut affirmare, aut negare.

Sed altera nempe non est non homo albus.

Non est non homo albus, & non est homo albus differunt subiecto tantum, idem habent prædicatum Albus, cum illa, quę habet subiectum non homo habeat suam affirmationem, vt antea docuit, altera pertinebit ad illam, in qua est subiectum homo, sicut est in hac Est albus homo. erunt igitur huius duæ affirmationes dato illo falso, non idem esse dicere Est albus homo, & est homo albus.

Vnum autem prædicatum de multis subiectis, vel multa prædicta de vno subiecto affirmare, & negare, nisi vna quæpiam res sit, quæ ex multis illis significetur, non est affirmatio una neque negatio. atque unum dico non si multis nomen unum sit impositum, ex quibus unum non conficiatur, & existat: uerbi caussa homo fortassis

est, & animal & bipes, & mansuetum, ex quibus vnum fit: at ex albo, & homine, & ambulare non existit vnum, quo circa neq; si vnum aliquod prædicatum affirmarit quis de his, nō vna fuerit affirmatio, sed vox quidem vna, affirmationes uero multæ: neque si hæc de vno subiecto, sed similiter fuerint multæ. si igitur Dialectica interrogatio postulat responsum vnius propositionis, seu partis alterutrius propositę Antiphasis, & propositio est vnius Antiphasis pars, ad hęc non fuerit responsio vna, quia nec interrogatio sit vna, etiam si vera sit. quibus de rebus dictum est in Topicis; simul autem & perspicuum est, si quis interroget, quid hoc vel illud sit, eam interrogationem nō esse dialecticam. oportet enim datum esse Respondenti, ut eligat vtram malit partem Antiphasis. atque debet, qui interrogat, distincte interrogare, vtrumne homo est hoc, an non est hoc.

SCHOLIVM.

Multa subiecta, & multa prædicata aperte præseferunt multitudinem enuntiationum.

Nisi vna quæpiam res sit.

Hoc quomodo esse possit indicat exemplo. illa enim, quę adhibentur in definitione alicuius, vt in definitione hominis, vnum significant, cum explicent rei vnius naturam, qua de re dictum est antea. itaque talia multa,

ta, vel prædicata, vel subiecta erunt vna enuntiatio, non multę.

Non si multis nomen vnum sit impositum.

Sicut supra dixit si homo, & equus vestiis nomine significarentur.

Homo fortassis.

Dicit fortassis, quia non hic est locus quęrendi, quæ proprie & vere constituant definitionem hominis, sed quę hic dicuntur, afferuntur exempli caussa.

Si igitur Dialectica interrogatio.

Et liber categoriarum, & hic liber pertinent, ut dictum est, ad doctrinam Analyticam, a qua Doctrina Topica doctrina sumit sua principia. itaque in his omnibus libris ponuntur etiam, quę præcognoscere oportet ante methodum Topicam, in qua Dialectica facultas exponitur. & hic igitur monet has enuntiationes, quę non sunt vna oratio, reijciendas esse a disputantibus: qui sumunt ab illis, qui Thesim aliquam defendunt, propositiones, quibus aduersus Thesim propositam vtantur. qui disputat, interrogat, quam interrogationem oportet eße vnam, quomodo in his libris docetur, vt scilicet vnum significet, & non multa. quę res latius postea traditur in octauo Topicorum, & contra sophistas in Elenchis. Interrogatio vero dialectica continet totam Antiphasim hoc modo Dasne, Voluptatem esse bonum, an non eße bonum, vt optio sit respondenti vtram velit concedere, affirmationem an negationem. ex hac doctrina sequitur & hoc petere definitionem alicuius rei, non eße interrogationem dialecticam, nam interrogando, quid hoc vel illud sit nulla datur optio respondenti, sicut postulat interrogatio dialectica. hac de re quoque in Topicis.

Quoniam autem ex multis,quæ de vno aliquo prædicantur subiecto separatim,alia simul posita,& coniuncta si prędicantur vt vnum efficiant omnia prædicatum,alia non,quodnam est eius rei discrimen?de homine enim verum est dicere, & separatim animal, & separatum bipes, & hæc ipsa coniuncta, vt vnum:& item verum est dicere hominem de homine separatim,& album separatim, & hæc coniuncte vt vnum. at non, si verum sit dicere aliquem hominem sutorem separatim, & bonum separatim, verum est coniuncte quoque sutorem bonum ipsum dicere:nam si quoniam vtrumque separatim verum est dicere,oportet eadem simul coniuncta vere dici de eodem subiecto, multa contingent absurda.nam de homine,& homo vere dicitur & album, ergo & vtrũque simul coniunctum. rursus si album, etiam hæc tria simul, quare homo erit homo albus albus, & hæc licet in infinitum adiungere . & rursus si verum sit separatim aliquem dicere,esse musicum,esse album,esse ambulantem,& hæc eadem sæpius complicata in infinitum.insuper si Socrates est Socrates, & est homo,ergo simul Socrates est Socrates homo.& si homo est homo,& bipes,ergo homo est homo bipes.Quod igitur, si quis simpliciter & nihil distinguendo dixerit a diuisis prędicatis,quæ vere de aliquo dicuntur,inferri posse eadem complicata quo-

que

que in vnum de eodem dici multa contingant. absurda manifestum est: itaque quid super hoc statuendum sit, nunc dicamus.

SCHOLIVM.

Proponit quid quæri consequenter debeat, & est doctrina aduersus fallacias sophistarum, de quibus postea fusius in elenchis. vidimus, quæ multa videntur talia esse posse, vt ex illis esse possit vna oratio, atque etiam talia esse posse, ex quibus vnum esse nequeat: id nunc aliquo discrimine distinguendum est. proponit autem rem quærendam in multis prædicatis, quę separatim de vno subiecto singula dicantur vere, & simul coniuncta, & quæ non: & dum exemplis, vt solet, rem declarat, simul indicat absurda, quę possunt contingere, si detur vniuerse, quæcunque vel singula vere de aliquo separatim dicantur, ea dici etiam coniuncte.

De homine enim.

In hoc exemplo est veritas, & diuisim & coniuncte.

Et item verum est.

In hoc exemplo est nugatio sophistica.

At non si verum sit dicere.

In hoc exemplo est veritas, quod vere diuisim dicatur non sequi, vt etiam coniuncte.

Nam de homine.

Sunt exempla nugationum sophisticarum ad decipiendum.

Homo est homo

Homo est homo albus albus.

Et ex multis diuersis prædicatis.

Aliquis homo est homo est musicus est ambulans,& eadem sępius repetendo,& complicando,Socrates est Socrates.

Et similiter est homo bipes.

Post exposita oculis hęc exempla tradit Doctrinam, quę etiam excludit has nugationes sophisticas.

Quæ de alio prædicantur,& quorum videlicet naturæ tributum est,vt de alio prędicentur,quęcunque dicuntur per accidens, siue de eodem subiecto, siue accidens alterum de altero accidente,ex his non erit vnum,veluti homo albus est,& musicus. nō sunt autem unum album,& musicum cum vtraque sint accidentia:neque si musicum dicatur uere de albo,nō tamen album musicum erit unum quid. per accidens enim dicitur album de musico.quare non erit album musicum res aliqua una. ob eandem rationem neque sutor bonus coniuncte, sed animal bipes, quia neutrum de homine dicitur per accidens. præterea, nec prædicata,quæ in altero inexistunt cum illo complicanda sunt. itaque nec album sæpius, nec homo est homo animal, aut bipes. inexistit enim in homine,& bipes,& animal.

SCHOLIVM.

Et quorum videlicet naturæ.

Adiecit hac uerba quasi interpretando, quod dixit, ut ostenderet nugationem illam Socrates est Socrates, singula-

gularia enim exclusa sunt a prædicatione, quæ illis tantum tributa est, quæ multis sunt communia.
Siue de eodem subiecto.
Vt album, & musicum dicuntur de homine.
Siue accidens alterum.
Vt album dicitur de musico.
Neque sutor bonus coniunctè.
Vsus est antea hoc exemplo aliquis homo est sutor, & idem est bonus, non sequitur coniunctè, ergo sutor bonus. sunt enim accidentia, & præterea bonus separatim de aliquo significat virum bonum. at cum dicis, sutor bonus pertinet ad præstantiam artis.
Præterea nec prædicata, quæ in altero inexistunt.
Hoc ad tollendam alteram nugationem Homo est homo albus, homo est homo animal, est homo bipes. sic sunt & sępius repetita. cum dicis est homo animal, homo inexistit in animali, sic repetita inexistunt in illis, quę repetuntur. Est ergo hęc doctrina, quæ diuisim multa de uno subiecto uere prædicantur, si non per accidens prędicantur, sed sunt prędicata essentialia, eadem & coniunctè tanquam unum prędicatum de ipso dicuntur. Cætera pertinent ad reÿciendas nugationes sophistarum.

Verum autem est affirmare cum aliquo adiecto prędicato, & diuisim sine illo, uerbi gratia, quem dixeris hominem talem, esse hominem, aut quem dixeris hominem album talẽ, esse hominem album: non semper tamen, sed quando inerit quidem in adiecto prædicato, quod ex aduerso, & contradictorie repugnet illi, cui adhæret, non uera, sed falsa erit illatio a coniunctis ad diuisa, ut mortuum hominem dicere esse hominem. quando uerò ea repu-

gnantia non inerit, uera erit illatio. uel potius cum sic ex aduerso pugnant, semper est illatio falsa, quando autem non sic pugnant, non semper uera est illatio: ueluti si dicatur Homerus est aliquid uerbi caussa poeta: inferrine poterit ergo est an non? hic enim vox, est, prędicatur de Homero per accidens: quia cum dicitur Homerus est poeta: non per se prædicatur, est, de Homero. itaque quibuscunque in prędicationibus repugnantia non est, si definitiones pro nominibus dicantur, & ipsa prædicata per se non per accidens de subiecto dicuntur, in his verum erit dicere cum adiecto, & sine adiecto. Non ens autem quoniam sit opinabile, non propterea uere infertur ergo est. opinio enim de non ente est, quod non sit, non, quòd sit.

SCHOLIVM.

Conati sumus planius explicare orationem, & phrasin Aristotelis ubi potest uideri obscurior his, qui minus diligenter uersati sunt in obseruanda eius phrasi. uocat autem aliquem & aliquid, & de aliquo id, quod in enuntiatione adijcitur prædicato. itaque sum interpretatus cum aliquo adiecto prædicato, & quod est græce ἁπλῶς, id est simpliciter, significat sine illo adiecto. & sententiam huius doctrinæ sic interpretati sumus, quando uera fiat illatio a coniunctis prædicatis ad diuisa, & quando non fiat.

Verbi

Verbi gratia quem dixeris hominem talem, esse hominem.

Exemplo declarat id, quod dixit, ut si dixeris Hic est homo philosophus, ergo est homo.

Aut quem dixeris hominem album talem.

Alterum exemplum, ut si dixeris Hic est homo albus philosophus, ergo est homo albus.

Vt mortuum hominem dicere esse hominem.

Sophistica illatio Hic est homo mortuus, ergo est homo, mortuus prædicatum adiectum homini aperte repugnat ei, cui adiectum est.

Vel potius.

Corrigit quod pręcepit. non enim satis, est si absit repugnantia, fieri ueram illationem a coniunctis ad diuisa, sed oportet adiungere, quod aperte infra præcipitur, si ipsa prædicata non dicantur de subiecto per accidens.

Non per se prędicatur, est, de Homero.

In hac enim oratione, Homerus est poeta, dicis homerum esse poetam, non dicis homerum esse.

Si definitiones pro nominibus dicantur.

Vt si pro homine dicas præditum uita, & pro mortuo dicas carentem uita, repugnantiam apertam uideris.

Non ens autem quoniam sit opinabile.

Hæc quoque est illatio sophistica Non ens est opinabile, ergo est. qui autem dicit Non ens esse opinabile, dicit aliquam opinionem esse de non ente. at opinio de nō ente, inquit Aristoteles, est, quod non sit, non autē quod sit. potes etiam dicere id, quod in exemplo de Homero, hic, Est, per accidens de non ente prædicari. atque hic satis est attigisse, quæ latius explicantur in Elenchis. quæ uero hic disputantur, referuntur omnia ad doctrinam Enūtiationis, quam oportet esse unam aut re ipsa, ut unum sit prędicatū de uno subiecto, & absit ab ipsis homonymia, & æquiuocatio, ut unū nō multa significāt.

quo-

quomodo autem, & multę orationes possint idem significare, & multa voces rem vnam significare docuit in quibus obiter & hęc, quę contra fallacias sophisticas.

Quomodo consequens doctrina coniungatur cum superiori.

Doctrina hactenus tradita videtur manare a duobus capitibus. nam vera Antiphasis, cuius originem primo loco tradidit, cum ex quinque generibus affirmationum & negationum oppositarum, vna sit, quę semper verum a falso distinguat, quę etiam est ministra demonstrationis, hęc inquam doctrina de Antiphasi manat a genere subiecto huius libri, quod est, Enuntiatio. Est enim Antiphasis veluti anima Enuntiationis, quę a cęteris orationibus distinguitur hoc vno, quoniam in vero & falso versatur. Altera doctrinę pars manat a Nomine, de quo positum fuit alia esse proprie nomina rebus videlicet certis imposita, alia quę nota negationis consignarentur, quę vocauit nomina infinita, quoniam hęc priuationis nota posset adhiberi omni generi nominum, siue significarent ens, siue non ens. & quoniam infinitum nomen est ipsum quoque vnum, vel subiectũ, vel prędicatum vnum significans, secundo loco docere voluit syluam variarum enuntiationum ex nomine, & ex infinito nomine, & ostendere, quę cuique affirmationi responderet negatio, & ex hac mixtura nominis, & infiniti nominis, quę affirmationes, & negationes idem significarent, & se mutuo consequerentur: cum qua doctrina coniunxit hęc monita postrema contra sophisticas fallacias. sequitur nunc tertia doctrina, quę manat a verbo, sicut secunda a nomine. nam in superioribus enuntiationibus semper, Est, &, non Est, fecit affirmationes, & negationes, nunc docet esse quasdam voces

quas

quas nostri vocant modos, & enuntiationes vocant modales, in quibus Modi vicem subeunt verbi, Est, facientes ipsi affirmationes, & negationes. sunt autem hi modi enuntiādi possibile esse, contingens esse, Impossibile esse, Necessarium esse: item verum esse, Falsum esse, probabile esse, consentaneum, consequens, & eiusmodi. in his ergo docet quomodo fiant affirmationes, & negationes, & quę in his quoque sint affirmationes, & negationes idem significantes: qua de re nescio, quid antea dictum est.

His explicatis uidendum est, quomodo se habeant negationes illæ inter se, & affirmationes, quæ sunt eius, quod Possibile est esse, & non possibile, & contingens, & non contingēs, & de impossibili, & necessario. habet enim ea res nonnullas dubitationes. Nam si Enuntiationes illæ pugnant inter se cōtradictorie, quæ ordinem aiendi, & negandi nanciscuntur per uerbum, est, & non est, ueluti huius affirmationis, est homo, negatio est, nō est homo, non autem est non homo: & est albus homo negatio Non est albus homo, non autem est non albus homo. si enim de omni, aut affirmare, aut negare oportet, uerum erit dicere Lignum esse non album hominem: ac si ita est, ubicunque, est, non adhibetur, ut idem faciat, quod pro uerbo, est, dicitur, ut homo ambulat, huius negatio non erit ambulat non homo, sed non ambulat homo. nihil enim interest vtrum dicas hominem ambulare, an hominem ambu-

lantem esse: si ergo ita se res habet in omnibus cuiuscunque generis enuntiationibus, etiam eius quod est, Possibile esse, negatio erit, Possibile non esse, non hęc, Non possibile esse.

SCHOLIVM.

Proponit dubitando, quid nunc consequenter quaratur, cuiusmodi sint negationes illarum affirmationū, in quibus adhibetur Possibile, Contingens, Impossibile, Necessarium.

Nam si enuntiationes illæ.

Oritur hæc dubitatio ex superiori doctrina, in qua docuit per verbum, Est, & non est, semper effici affirmationes, & negationes siue subiecta, & prædicata sint nomina, siue nomina infinita. & vtitur iisdem exemplis, quibus supra. est autem periodus longa, & procurrit vsque ad finem, si ergo ita se res habet in omnibus.

Si enim de omni aut affirmare, aut negare oportet.

Hoc est Axioma ortum ab ea vi, quę est in vera Antiphasi, cuius altera pars vera semper, altera semper falsa. si ergo non ordinetur negatio per verbum, non est, huius affirmationis, Lignum est albus homo, erit negatio, Lignum est non albus homo, & hæc erit vera, cum affirmatio sit falsa.

Si ergo ita se res habet in omnibus.

Hucusque, vt dixi, suspensa procurrit sententia si inquam, ita se res habet in omni genere enuntiationum sequetur, vt huius etiam Affirmationis Possibile est esse, negatio sit, Possibile est non esse, non autem Non possibile est esse. quęrendum igitur est, an ita sit.

Sed

Sed uidetur idem esse, & non esse possibile esse. nam omne quod possibile est secari, aut ambulare etiam non secari, & non ambulare possibile est: & ratio est, quoniam quod tali potestate prçditum est, non semper agit, itaque poterit & non agere: quod enim potest ambulare, & non ambulare potest, & quod potest cerni, etiam non cerni potest. verum fieri nequit, vt veræ sint de eodem subiecto affirmationes, & negationes oppositæ: non ergo huius affirmationis, Possibile est esse negatio est Possibile est non esse. contigit enim aut idem affirmari, & negari simul de eodem subiecto, aut hic esse & non esse ad affirmandum, & negandum non recte adhiberi. quod si illud esse nequit, hoc postremũ eligere oportet. est ergo huius affirmationis Possibile est esse negatio Non possibile est esse, non autem Possibile est non esse.

SCHOLIVM.

Sed videtur.

Vox Possibile proprie videtur adhiberi in his, quę ęque possunt esse, & non esse, & hac potestas ad vtraque opposita duplex est vel patiendo, vt de veste, qua potest secari & non secari, vel agendo vt de homine, qui potest ambulare, & non ambulare. de his uero, qua uel non semper agunt, vel non semper non agunt, aut non sunt, dictum est antea, vbi de triplici rerum genere nempe de neceßaro, ide contingente, ut plurimum, & aque poßibili ad utraque opposita.

Verum

Verum fieri nequit.
Hęc doctrina supra exposita est Antiphasim non posse esse simul veram.
Non ergo.
Non ergo verum est, quod antea dicebatur. quia si negatio eius, quod Possibile est esse, esset Possibile est non esse, idem de eodem subiecto simul, & affirmaretur, & negaretur. non ergo vt supra disputabatur ad omne genus Enuntiationum recte adhibetur esse, & non esse ad affirmandum, & negandum. & negatio, quę respondet proprie, & vere huic affirmationi Poßibile est esse, hæc est, Non possibile est esse.

Eadem ratio est de hac affirmatione Contingens esse, cuius negatio Non contingens esse, & in alijs eodem modo videlicet in Impossibili, & Necessario. sicut enim in illis superioribus enuntiationibus Esse & Non esse munus tenent agglutinandi, & alia posita in enuntiatione sunt res subiectæ ei muneri, nempe ab altera parte album ab altera parte homo: sic hoc loco Esse quidem, & non esse locum rei subiectæ tenent, at possibile est, & contingere, munus agglutinandi tenent, & distinguunt, sicut illic esse, & non esse, verum & falsum, sic hæ enuntiationes per possibile esse, & non possibile esse. atque huius affirmationis Possibile est non esse negatio est non hęc Non possibile esse, sed non Possibile non esse, & huius affirmationis Possibile esse negatio est non hęc. Possibile non esse, sed Non possibile esse.

SCHO-

SCHOLIVM.

Demonstrata veritate propositæ quæstionis Possibile non esse nullo modo esse negationem illius affirmationis Poßibile est esse: clare ostendit hos quos vocant modos Poßibile, Contingens, impoßibile, Necessarium subire vicem verbi, est, & per ipsa effici affirmationes, & negationes oppositas. itaque Possibile non esse affirmationem esse cuius negatio sit Non poßibile non eße.

Munus tenent agglutinandi.

Cur ita transtulerim verbum græcum latius reddidi rationem in commentarijs meis, nostra certe translatio tam clara est, ut nullam præseferat obscuritatem.

Itaque & se mutuo consequi uideri possunt Possibile esse, & Possibile nõ esse. eadem enim res esse potest, & non esse. non enim per Antiphasim sunt opposita Possibile esse, & Possibile non esse. sed Possibile esse & Non possibile esse, quę nunquam uere possunt enuntiari de eodem subiecto, cum sint opposita per Antiphasim. sic nec, Possibile nõ esse & Non possibile non esse de eodẽ simul subiecto unquam possunt uere enuntiari. Et huius similiter affirmationis Necessarium est esse negatio est non hæc Necessarium non esse, sed hæc Non Necessarium est esse, & hæc opponuntur per Antiphasim Necessarium non esse Non necessarium non esse: sic huic Impossibile esse non opponitur Impossibile non esse, sed hæc Non impossibile esse: ergo & hæ opponuntur Impossibile non esse Non impossibile nõ esse:

atque

atque uniuerse sicuti dictum est, esse & non esse in his enuntiationibus tenent locum rerum subiectarum, cum quibus sic adiunguntur hę uoces efficientes affirmationem, & negationem, ut credere oporteat has esse Antiphases oppositas Possibile Non possibile: Contingens non Contingens: Impossibile Non impossibile: Necessarium Non necessarium: Verum Non verum.

SCHOLIVM.

Itaque & se mutuo consequi.

Repetet hoc verbum infra cum aggredietur tradere doctrinam hanc, quæ nam sint ex his modalibus, vt vocant, quæ se mutuo consequantur. postquam enim aperte docuerit, quæ cuique affirmationi opponatur negatio, recte adiungitur & hęc doctrina, sicut factum est etiam supra, quæ nam videantur idem significare, & se mutuo consequi.

Verum non verum.

Doctrinam quidem de his quatuor tradit tantum Possibile, contingens, Impossibile, Necessarium, quæ complectuntur omne genus rerum: sed sunt & aliæ voces, quæ cadunt sub eandem doctrinam Verum, falsum, verisimile, Probabile, consentaneum, & similia.

Et qui ex his Enuntiationes se mutuo consequentes sic ordinant, non uidentur nulla inducti ratione. Nam hanc nempe Possibile esse consequitur hęc contingens esse, & hęc cum illa conuertitur: quas consequuntur etiam hæ

duæ

duę Nõ impoſsibile eſse eſt Nõ neceſsariũ eſse.

Has uero nempe Poſsibile non eſse, & contingens non eſse conſequuntur Non impoſsibile non eſse, & non neceſsarium non eſse: has autem nempe Non Poſsibile eſse, & nõ contingens eſse conſequuntur Neceſsarium non eſse, & impoſsibile eſse: has uero non Poſsibile non eſse, & non contingens non eſſe cõſequuntur Neceſsarium non eſse, & Impoſsibile non eſse. ſed conſideremus, quod dictum eſt ſic harum enunciationum ordine deſcripto.

Ordo receptus in Scholis.

Poſsibile eſse	Non poſsibile eſse
Contingens eſse	Non cõtingens eſse
Non impoſsibile eſse	Impoſsibile eſse
Non neceſsarium eſse	Neceſsariũ non eſse
Poſsibile non eſse	Nõ poſsibile nõ eſse
Contingens non eſse	Nõ cõtingẽs nõ eſse
Nõ impoſsibile nõ eſse	Impoſsibile non eſse
Nõ neceſsariũ nõ eſse	Neceſsarium nõ eſse

SCHOLIVM.

Non videntur nulla inducti ratione.

Sic verecunde ſemper indicat, vbi ſit peccatum a ueteribus, & nunc in his coordinandis, quæ idem valent, & ſe mutuo conſequuntur. exponit igitur quas fecerint

coordinationes: tum illas sicut fit in disciplinis mathematicis, subijcit oculis quatuor separatim descriptis ordinibus, vt uideamus, & consideremus quænam de Impoßibili & necessario consequuntur affirmationes, & negationes Possibilis, & contingentis: ut non solum animo, sed oculis ipsis cernamus, quæ sit per hac doctrina considerabit Aristoteles. sic enim hanc rem persequitur.

Impoßibile igitur, & non impoßibile consequuntur contingens & poßibile, & non contingens, & non poßibile contradictorie quidem, sed ratione commutata. nam negatio impossibilis nempe Non impoßibile esse consequitur Possibile esse: negationem autem affirmatio consequitur: nam post Non possibile esse sequitur Impossibile esse, quæ est affirmatio, cuius negatio est non impossibile esse. nũc videndum quomodo se habeat Necessarium. perspicuum enim est non eo modo se habere. sed è contrario, & diuerso modo sequuntur: quæ uero opponuntur contradictorie in alium locum distractæ sunt. non enim negatio huius affirmationis Necessarium non esse, hæc est Non necessarium esse: contingit enim vtrasque vere dici de eodem subiecto. quod enim necessarium est non esse, non est necessarium esse. Caussa uero quamobrem necessarium eo modo non consequatur, quo cæteræ, est quoniam ut idem ualeant impossibile, & necessa-

cessarium contrario modo allata sunt. quod enim impossibile est esse, hoc necessarium est, non ut sit, sed ut non sit. quod uero impossibile non esse, hoc necesse est esse. quare si illa similiter consequuntur possibile, & non possibile, hęc contrario modo consequuntur. Siquidem & necessarium, & impossibile non significant idem: sed, ut dictum est diuersa ratione.

SCHOLIVM.

Subiecta oculis quatuor coordinationum descriptione, in quibus ordines ducunt Poßibile, & contingẽs: primo considerat quomodo consequantur, quę idem valeant affirmationes, & negationes Impossibilis, quę tertio loco sunt collocatę: est autem affirmatio post negationem Possibilis, & contingentis, negatio uero post affirmationem ipsarum. consequuntur ergo commutata ratione, quia non est affirmatio post affirmationem, & negatio post negationem, sed locis commutatis.

Nunc videndum quomodo se habeat necessarium.

Postea considerat, quę quarto loco sunt collocatę enuntiationes Necessarij. non enim sicut in Impossibili Affirmatio est opposita e regione suę negationis, sed longe distracta est in alium locum. sic in nulla coordinatione sibi mutuo respondent, affirmationes, & negationes Necessarij.

Caussa vero quamobrem.

Non enim ut initio dixit, qui sic ordinarunt, nulla sunt inducti ratione, sed aliquam secuti sunt rationem.

ita verecunde, vt solet, accedet ad reprehendendam doctrinam iam receptam.

Quoniam, vt idem valeant.

Necessarium esse non potuit poni post impossibile esse, quia non idem valent, sed eius loco positum est Necessarium non esse, quod idem valet, illa vero Necessarium esse posita est post impossibile non esse, quia idem valent. sic oportuit distrahere affirmationes necessarij, nec ob id respondent suis negationibus. existimarunt autem ipsas negationes iam suis locis collocatas. hic vero peccatum esse demonstrabit.

posita

An fieri nequit, ut hoc modo collocentur Antiphases Necessarij? nam quod necesse est esse Possibile est esse, quod nisi das, consequetur eius negatio Non possibile est esse: oportet enim aut affirmare, aut negare: quare si detur negatio, post non Possibile esse sequitur impossibile esse, ergo impossibile est esse, quod necesse est esse, in quo est euidens absurditas. sed post Possibile esse sequitur Non impossibile esse, & post hoc non necessarium esse, itaque euenit, ut quod est necessarium, non sit necessarium, quod est absurdum. uerum neque Necessarium esse sequi potest post possibile, neque necessarium non esse. Possibili enim contingit, & esse, & non esse. at utralibet uera fuerit ex his enuntiationibus necessariis, non erunt illa uera. sunt enim simul utraque cum possibili, & esse, & non esse, si uero necessarium est esse, aut non esse excluditur

illa

illa potestas ad vtraque opposita, quæ est cum Possibili. relinquitur ergo hanc nempe Non necessarium non esse consequi illam, quæ est Possibile esse. Hæc enim vera est etiam post illam Necessarium est esse. & hæc est Antiphasis illi affirmationi opposita, quæ consequitur non possibile esse, post quam, est Impossibile esse & Necessarium non esse, cuius negatio est Non necessarium non esse. consequuntur ergo contradictorie istæ quoque, & hoc modo ponentibus has coordinationes, nihil accidit absurdi.

Ordo receptus emendatus.

Possibile esse	Non possibile esse
Contingens esse	Non contingẽs esse
Non impossibile esse	Impossibile esse
Nõ necessariũ nõ esse	Necessariũ non esse
Possibile non esse	Nõ possibile nõ esse
Contingens non esse	Nõ cõtingẽs nõ esse
Nõ impossibile nõ esse	Impossibile non esse
Non necessarium esse	Necessarium esse

SCHOLIVM.

An fieri nequit.

Hac demonstratio per axioma oportet, aut affirmare, aut negare est certissima, per quam sequitur, quod est dictu nefas, vt sit impossibile, quod necesse est esse.

Sed post Possibile est esse.

Cum igitur post Necessarium esse sequi oporteat Possibile eße, ostendit ex ordine vsitato, & recepto sequi alterum dictu absurdissimum, vt quod est necessarium non sit necessarium. ergo hac negatio Non neceßarium esse, alieno loco est ordinata, & eijcienda est.

Verum neque necessarium esse.

Ostendit neutram ex affirmationibus Neceßarij poße traduci in hunc locum, cum vtraque repudiet societatem Possibilis, cui coniuncta est potestas ad vtraque opposita.

Relinquitur ergo.

Locus Topicus a partium enumeratione, cum sint quatuor enuntiationes Neceßarij, & tres ab hoc loco sint exclusa, relinquitur vt in hunc locum sit traducenda negatio illa Non neceßarium non esse: qua etiam vera est post Necessarium esse. sic ergo nihil sequitur absurdi, & suę negationes singulis affirmationibus necessarij opponuntur, sicut fit in cateris. atque ita demonstrauit vbi peccatum sit a veteribus, & emendauit erratum.

Sed dubitare aliquis possit an post Necessarium esse sequatur Possibile esse, nam nisi hęc sequatur, sequetur ex aduerso opposita negatio Non possibile esse, ac siquis hanc neget esse negationem, necesse est dicat illā esse videlicet Posibile non esse, quę ambæ falsæ sunt coniunctæ cum Necessario. Verum occurrit illud rursus idem posibile esse secari, & non secari, & esse & non esse. quare quod necessarium est esse, continget non esse, quod prorsus

falsum

falsum est de necessario. Perspicuum porro est non omne, quod possibile est uel esse uel ambulare potestate præditum esse ad vtraque opposita: sed existunt in quibus id verum non est: primo quidem in his, quæ non prædita ratione aliquid possunt: sicut ignis potentia præditus est calefaciendi, & ea potentia rationis est expers: Nam potentiæ, quę sunt in naturis ratione vtentibus, eæ plura possunt & opposita: quę uero ratione non vtuntur, non omnes. sed, vt dictum est, ignis non potest calefacere, & non calefacere, nec quæcunque alia semper agunt. verumtamen etiam in irrationabilibus sunt, quæ simul possunt opposita suscipere. verum id propterea nunc dictum sit, vt intelligatur non omnem potentiam vtraque suscipere opposita, ne in illis quidem, quæ eodem genere continentur.

SCHOLIVM.

Proponit quæstionem, quę nascitur ex illa demonstratione deducente ad id, quod esse nequit, qua vsus est cũ ostendit oportere post Necessarium esse sequi Poßibile esse. repetita ergo demonstratione illa, & insuper etiam corroborata tamen subijcit inconueniens, quod ex eo sequitur, quod Poßibile extendetur ad opposita, quæ potestas ad vtraq. nullam habere societatem potest cum Necessario.

Perspicuum porro est.

Proposita dubitatione aggreditur ad eam dissoluẽdam ac primo docet non omne, quod potest aliquid agere,

aut suscipere posse etiam hoc non agere, aut non suscipere, sicut ignis ex potentijs irrationabilibus potest calefacere, non potest oppositum nempe non calefacere.
Nam Potentiæ, quæ sunt in naturis ratione vtentibus.
Homo qui ratione, & libera voluntate præditus plura, & contraria potest agere, & non agere, ambulare non ambulare, sedere non sedere, & eiusmodi plurima. in homine enim potißimum locum habet hæc potestas ad vtraque opposita. In potentijs irrationabilibus etiam sunt, in quibus est potestas ad vtraque opposita, sicut de ueste quę potest scindi, & non scindi. intelligit autem potentiam, vt antea dictum est, tam agendo, quam patiendo.
Verum hoc propterea nunc dictum sit.
Non est hoc tempus disputandi de rerum naturis, sed hac nunc dicta sunt exempli caussa, vt ostenderemus, quod proposuimus non omne, quod potest aliquid agere, aut suscipere, idem posse non agere, & non suscipere.
Quæ eodem genere.
Vt in genere irrationabilium, ignis.

Verum quædam potentiæ habent homonymiam adiunctam, & sunt æquiuocæ. nam Posſibile non uno modo dicitur, & aliud dicitur posſibile, quia verum est, quippe quod actu sit. sic dicimus Posſibile est hunc ambulare, quoniam ambulat. atque omnino Posſibile aliquid esse, quoniam id iam actu est, quod dicitur esse posſibile. aliud dicitur Posſibile, quod habet potestatem aliquid agendi, ut posſibile ambulare, quoniam posſit ambulare. atq; hæc
po-

potentia in rebus ſolis mutabilibus exiſtit, illa uero etiam in rebus immutabilibus. & uerum eſt dicere vtrumque de poſſibili ambulare, uel eſse, nimirum ut ſignificet tum id, quod iam ambulat, & eſt actu, tum id quod nondum eſt, ſed poteſt eſse, ſic igitur uniuerſe acceptum Poſſibile haud verum eſt dicere de neceſsario, ſed alterum duntaxat quod actu eſt. Quare quoniam poſito particulari, ſequitur id eſse, quod eſt uniuerſale, poſt id quod eſt ex neceſſitate ſequetur, quod poſſibile eſt eſse, non omne tamen. atque eſt iam fortaſse initium a Neceſsario, & non neceſsario omnium ſimiliter affirmationum, & negationum, & alias enunciationes poſt neceſsarium, & nō neceſsarium conſequentes cōſiderare oportet. Perſpicuum quidem eſt ex his, quæ dicta ſunt, quod eſt ex neceſſitate, id actu eſse. quare ſi priora ſunt, quæ ſempiterna ſunt, etiam actus potentia prior eſt: & aliquæ quidem res ſunt actus potentiæ expertes, ſicut primæ, & intelligibiles ſubſtantiæ: aliquę autem res ſunt actus cum adiuncta potentia: in his actus eſt natura prior potentia, ſed potentia anteceſsit actum tempore. Sunt etiam, quæ nunquam actu erunt, ſed potentiæ tantum ſunt.

SCHOLIVM.

Pergit diſſoluere propoſitam dubitationem, & vocem poſſibile docet adhiberi in oratione dupliciter. & pro

pro eo quod est actu, & pro eo quod non est actu, sed potest esse. itaque propter homonymiam, & æquiuocationem in significando si vniuerse accipiatur, non congruit cum necessario. sed tantum congruit cum significat actũ solum. ergo cum consequitur necessarium in hac tantum significatione accipiendum est.

Atque hæc potentia.

Res sunt duorum generum nempe vel mutabiles, in quo genere sunt hę res inferiores elementares, vel immutabiles, in quo genere sunt cęlestia, & intelligibilia.

Quare quoniam posito particulari.

Didicimus in libro categoriarum si sit prima substantia, quæ est particularis, sequi esse, & secundam, quę est vniuersalis; vult autem ex hoc aßumpto rectius fortasse fore si pro possibili, & non Possibili Necessarium, & nõ necessarium ducant ordines harum enuntiationum, quas modales vocant idem ualentes. dicit fortasse propter modestiam ne videatur etiam in hoc veteres reprehendere.

Perspicuum quidem est.

Quando necessario incidit in hanc mentionem Actus, & potentiæ, obiter & breuiter tangit rerum naturam, quę sunt vel actu simpliciter vel actu cum adiuncta potentia, vel etiam sunt potentia tantum nunquam exitum in actum, sicut est sectio continui in infinitum qua de re in philosophia. Actus pertinet ad perfectionem: Potentia ad imperfectionem, quæ antecedit tempore in his, quæ aliquando non fuerunt.

Vtrum autem cõtraria est Affirmatio Negationi an Affirmatio Affirmationi, & oratio orationi, quæ sic enuntiatur Omnis homo iustus huic negationi Nullus homo iustus, an

omnis

omnis homo iustus huic Affirmationi Omnis homo iniustus: exempli gratia Est Callias iustus Non est Callias iustus: Callias iniustus est: Vtra inquam ex his contraria est? Nam si quæ loquimur, congruunt cum his, quæ mens cogitat, & apud mētem talis opinio est tali opinioni cōtraria, sicut hic significatur Omnis homo iustus omnis homo iniustus, oportet repugnantiam eodem modo se habere in his, quæ loquimur per affirmationes: quòd si apud mentem opinioni non est contraria opinio cōtrarij, nec affirmatio affirmationi erit contraria, sed quæ dicta est negatio. quare videndum est, quæ opinio falsa ueræ opinioni sit contraria, utrum negationis, an quę opinatur prædicatum contrarium esse: quod sic declaro, est una opinio vera de bono quod sit bonum, alia quod non sit bonum, falsa: item altera quod sit malum: vtra horum est contraria veræ, ac si oportet vnam esse, vtra contraria est & ex aduerso prorsus repugnat?

SCHOLIVM.

Hæc quęstio vltimo loco exposita, sicut ratio docendi & methodus postulat, robur ipsum Antiphasis in vero, & falso distinguendo magis confirmat. cum enim orationes ex prædicatis contrarijs maximam vim habeant, nam & contraria definiuntur, quæ plurimum inter se distāt, opportune factum videtur, vt cum his affirmationibus ex prędicatis contrarijs comparando Antiphasim ad quā referuntur omnia, quæ tractātur methodus

in

in hac methodo, magis etiam intelligeremus in vero, & falso distinguendo maximam, & pręcipuam vim habere ipsam Antiphasim, quæ est omnium oppositionum maxima.

Quæ sic enuntiatur Omnis homo est iustus.

Huic affirmationi Omnis homo est iustus utra ex his aduersatur, & contraria est Nullus homo iustus an Omnis homo iniustus? non dicit magis est contraria, quoniam, vt infra dicetur, vnum vni contrarium. quęritur ergo hoc vnum cōtrarium, quod vni aduersatur. vtrum in oratione sit negatio affirmationi opposita, quæ appellatur Antiphasis, an affirmatio ex contrario prædicato.

Exempli gratia Est Callias iustus.

Non sine ratione subijcit hoc exemplum ex subiecto singulari. hac enim oppositio affirmationis, & negationis, vt vidimus in vero, & falso diuidendo eandem vim habet, quam oppositio contradictoria.

Nam si quæ loquimur.

Verum & falsum sunt opus mentis, quę id facit componendo, & diuidendo, quod repræsentatur per affirmationem, & negationem. mittit ergo nos ad mentem, vt videamus in illa intima locutione mentis, quę vocatur opinio utra opinio falsa opponatur uera.

Quod sic declaro.

In hoc exemplo discutiet ueritatem quæstionis. Vnum vni debere esse contrarium demonstratur in philosophia, hic assumitur, vt notum.

Ea re posse arbitrari contrarias opiniones definiri, quòd sint rerum contrariarum, falsum est. boni enim quod sit bonum, & mali, quod sit malum opinio fortasse vna, & eadē est. vera certe est, siue plures siue una sit. at hę res sunt

con-

contrariȩ uerum contrarias statuimus opiniones, non quod sint rerum contrariarum, sed magis, quod contrarie & ex aduerso pugnent. Si igitur boni opinio est, quod sit bonum, alia quod non sit bonum: est autem, & aliud quod neque bono inest neque in esse potest; aliarum quidem opinionum nullam ponere oportet, quȩcunque uel inesse, quod non inest opinantur, vel non inesse quod inest: harum enim vtrumque genus est infinitum, & quæ inesse, quod non inest, & quæ non inesse, quod inest, opinantur: sed illæ ponendæ sunt, in quibus est Apate. hæ vero sunt ex quibus sunt, & rerum generationes, quæ cum sint ex eo, quod opponitur per negationem, sic sunt & apatæ.

SCHOLIVM.

Antequam accedat ad dissoluendam propositam dubitationem, monet, quomodo hic accipi oporteat opiniones contrarias. sunt enim contraria, quarum sententiæ contrarie, & ex aduerso pugnant, non quȩ res contrarias continent, sicut exemplo docet.

Est autem, & aliud.

Didicimus initio huius doctrinæ uerum, & falsum referri ad quatuor capita, verũ cum id dicitur esse, quod est, & non esse quod non est, falsum cum esse quod non est, & non esse quod est: sic nunc duo genera opinionum falsarum hoc modo significat, quæ putant inesse subiecto quod non inest, & non inesse quod inest; quas iubet reijci, quia sunt infinita. sic enim uni essent infinita contraria: ut opinari bonum eße malum esse inutile esse

tur-

turpe & mille eiusmodi, & opinari bonum non esse pulchrum non esse iucundum non esse expetendum, & mille eiusmodi. hę igitur sunt reyciendę.

Sed illæ ponendæ sunt in quibus est Apate.

Posui verbum græcum quoniam vno verbo latino exprimi non potest græcum Apate. est autem Apate falsum oppositum vero, sicut non ens Enti, idest oppositum contradictorie, quo opinamur aliquid non esse id ipsum quod est, ut bonum non esse bonum, & hæc opinatio vna tantum est, & certißima, & tale verum, & falsum opposita sunt in Antiphasi. est igitur Apate falsum oppositum vero in Antiphasi. Rerum generationes, vt traditur in principijs rerum physicarum, fiunt ex eo, quod non erat, vt Musicum ex non musico sic dicimus quicque gigni ex eo, quod non est.

Si igitur Bonum & bonum est, & non malum est, atque alterum per se inest bono, alterum per accidens: accidit enim bono ut ne sit res mala: ac magis de vnoquoque subiecto uera, quæ per se etiam magis falsa erit, quæ per se quandoquidem sic est de uera quoque. Est igitur, quę opinatur Bonum non esse bonum negatio falsa eius, quæ per se opinatur bonum esse bonum: altera quæ opinatur bonum esse malum ad aliam opinionem pertinet, quæ est per accidens. quare magis erit falsa negationis quam contrarij prædicati opinio. maxime uero falsus est in unoquoque rerum genere, qui opinionem uero contrariam habet, sunt enim contraria, quę in eodem genere maxime inter se discrepant, si igitur ex his altera dicenda est

con-

contraria, & magis est contraria negationis opinio, hæc manifeste fuerit contraria: atque opinio, quod bonum sit malum est cum hac negatione coniuncta: nam qui opinatur bonum esse malum, eundem fortasse necesse est opinari bonum non esse bonum.

SCHOLIVM.

Alia ratione confirmatur superius argumentum id falsum, quod præcipue repugnat vero, esse in Antiphasi, & quod pertinet ad propositam quæstionem anteponendam esse negationem affirmationi ex prædicato contrario.

Atque alterum per se inest bono.

Est res notißima in philosophia, quod per se inest longe anteferri illi, quod inest per accidens. in hoc igitur est uis huius ratiocinationis.

Ad aliam opinionem pertinet.

Respicit enim negationem, quæ dicit Bonum non esse malum, quę etiam est una ex illis, quæ supra ob infinitatem talium enuntiationum reiecta est. uerum hoc etiam habet, vt collata cum illa Bonum est bonum, sit per accidens.

Si igitur altera ex his dicenda est contraria.

Cum enim vnum vni sit contrarium, illa quærenda vna, quę vere aduersetur opinioni veræ.

Eundem fortasse.

Fortaße more suo modestiæ caussa: quis enim neget si quis opinetur aliquam rem esse malam, eundem oportere opinari rem eandem non esse bonam?

Præterea si quod præcipitur in aliis quoque similiter se oportet habere, hac etiam ratione uideri possumus recte dixisse de Antiphasi

aut

aut enim vbique in distinguendo vero, & falso valet Antiphasis, aut nusquam. in quibus autem non sunt contraria, in his illa opinio falsa, quæ ueræ per Antiphasim aduersatur, ut quę hominem non esse hominem putat. si sic igitur, vbi non adsunt contraria, sic & in aliis, quę per Antiphasim aduersabuntur verę opinioni.

SCHOLIVM.

Scientię sunt de Vniuersalibus, & ex uniuersalibus, & quæ recte præcipit Methodus in unoquoque genere, uniuerse præcipit. hic quæritur quæ sit illa una opinio falsa, quę aduersatur ueræ. quot sunt Categoriæ, quę non habent contraria? in his nihil ualet pręceptum de prædicato contrario. at uis Antiphasis eadem in omnibus. ergo aut nusquam, aut in omnibus præceptum de Antiphasi in uero, & falso distinguendo. & hæc ergo ratio non uideri debet parui ponderis ad confirmandam doctrinam primo loco demonstratam.

Insuper eadem ratio est inter has duas.

ambæ veræ { Bonum est bonum
Non bonum non est bonum

Et inter has.

ambæ falsæ { Bonum non est bonum
Non bonum est bonum.

Quæritur secundæ dicenti Non bonũ non esse bonum, quæ nam contraria aduersetur. non enim quæ dicit Non bonum est malum, quæ potest esse simul uera, cum uera veræ contraria nunquam sit. aliqua enim res non bona

est

est mala. itaque contingit ambas simul esse uera. neque item illa, quæ dicit Non bonum non est malum. nam & has contingit simul esse in eodem subiecto. relinquitur ergo ut illi Non bonum non est bonum sit hæc contraria posita quarto loco Non bonum est bonum: hæc enim est falsa quare etiam quæ opinatur Bonum non esse bonum est illi contraria Bonum est bonum.

SCHOLIVM.

In primis duabus ueris prima est affirmatio ex subiecto nomine, secunda negatio ex subiecto nomine infinito. In secundis duabus falsis eodem ordine prima ex subiecto nomine, negatio secũda ex subiecto nomine infinito affirmatio. ostendit negationi uera nullam opponi ex prędicato cõtrario, quia cũ ipsa possunt esse simul verę: ita relinquitur, ut sola affirmatio ipsius, quę est quarto loco & falsa est, ipsi opponatur. sic colligit affirmationi vera opponi negationem, quę est tertio loco. hac ratiocinatio uidetur ualde similis illi, qua est in Arithmetica positis quatuor numeris analogis ex quibus sequitur, ut eadem ratio sit etiam inter primum, & tertium & inter secundum & quartum. sic uarijs modis ostenditur opinioni uerę proposita Bonum est bonum unicam opponi negationem.

Perspicuum autem est si pro illa Bonum est bonum Vniuersalem affirmationẽ ponamus, quod nihil intererit. Vniuersali enim uniuersalis negatio aduersabitur. ut menti opinanti Omne bonum est bonum aduersatur Nullum bonum est bonum. & opinio de bono, quod sit

bonum,si bonum apud mentem uniuerse accipiatur idem ualet, ac si mens opinetur quicquid utique sit bonum,esse bonum.quod idem est ac si dicas omne bonum esse bonum.idem est,& de non bono.Quare si apud mentem ita se habet opinio, & quas loquimur affirmationes,& negationes eorum notæ sunt,quæ mens cogitat,clarum est etiam affirmationi contrariam esse negationem de eodem subiecto uniuerse.ueluti huic affirmationi omne bonũ est bonum,uel omnis homo est bonus aduersatur nullum bonum est bonum,& nullus homo est bonus:contradictorie uero Non omne bonum & Non omnis homo. Perspicuum etiã est neq; Antiphasim ueram ueræ contrariam esse non posse,neque opinionem. sunt enim contrarię, quæ per Antiphasim repugnant:in quibus cõtingeret eundem uera dicere de eisdem subiectis,sed fieri non potest,ut simul insint contraria in eodem subiecto.

SCHOLIVM.

Perspicuum autem est.

Exempla proposita ad discutiẽdam quęstionem de negatione opposita, & prędicato contrario perinde accipiẽda sunt,ac si proposita fuissent vniuersaliter. uis autem Antiphasis cernitur proprie in uniuersalibus ex quibus,& de quibus sunt scientia.

Quare si apud mentem.

Conclusio si apud mentem ita sunt opiniones contrariæ, sic oportet esse etiam in oratione. Antiphasis autem uocatur illa opinionum repugnantium ex aduerso contrarietas.

rietas, afferuntur exempla de omni & nullo, quę nunquam possunt esse simul vera, vt didicimus: & de omni & non omni, quę est oppositio contradictoria semper diuidens falsum a vero.

Perspicuum etiam est veram veræ contrariam esse non posse, neque opinionem, neque Antiphasim.

Vsus est hac sententia paullo ante pro ratione. nunc docet quomodo sit intelligēda: sunt. n. accipienda cōtrariæ enūtiationes, quæ repugnant contradictorie. In his dicere verā veræ esse contrariā esset dicere quod esse nō potest, contraria esse simul posse in eodē subiecto. illæ ergo affirmationes, & negationes oppositæ Homo est albus Homo non est albus, aliquis homo est pulcher, aliquis nō est pulcher, sunt reijcienda, a quibus abest vera contrarietas, & repugnātia. in sola ergo Antiphasi, quæ enuntiatur vniuerse existit opinionum, & orationum contrarietas a falso verum distinguens, atq. ita quæ incępit doctrina ab Antiphasi, terminat in Antiphasim cuius caussa tractātur omnia ferè, quæ disputātur in hac methodo.

Summa huius doctrinæ.

Genus subiectū est Enuntiatio simplex, quę diuiditur in Affirmationem, & negationem: hæ vero constant ex nomine & verbo. ex his facile est intelligere, quę fuerint necessario ponenda in præcognoscendis. Cum vero in superiore libro inter opposita Affirmatio, & Negatio hac re præcipue sint commendatæ, quòd semper diuidant falsum a uero, & altera ex ipsis sit vera altera falsa, hęc nunc doctrina loco suo scilicet diligēter exponitur, ac primo nomen imponit huic oppositioni. vocetur, inquit, affirmatio negationi opposita Antiphasis, ad quā omnia ferè, quæ in hac methodo tractantur, referuntur. eius. n. ortum primo, & cuiusmodi sit vna. s. Antiphasis, quæ vniuoce prædicatum unum de vno subiecto affirmet & neget, deinde eius species quinque, ex subiecto

singulari vnam, quatuor ex subiecto vniuersali explicat, & vim singularum: Atque vt cognoscamus vnam præcipue ex ipsis quinque esse Antiphasim cuius altera præcise pars semper sit vera altera falsa, necessario coactus est ostendere cuiusmodi esset Antiphasis ex singulari subiecto in tempore futuro cum prædicato contingenti, vt Socrates viuet aut non viuet cras. est.n.tota simul vera, partibus separatim non potest tribui, vt altera sit uera altera falsa. & quoniam disputandum fuit contra illos, qui omnia fato & ex necessitate fieri, & esse volebant accommodate rationibus, quæ intelligãtur ab auditore huius methodi tractat hanc quæstionem, & docet esse triplex rerum genus Necessarium Contingens, vt plurimum & æque contingens, in utramq; partem. Indicata uera, & unica Antiphasi ostendit syluam Antiphaseon ex nomine, & ex nomine infinito, & quæ affirmationes, & negationes ex eiusmodi diuersis prædicatis idem valeant, & se mutuo consequãtur, & cum hac doctrina, docet ex quibus multis unum efficitur, vt idem significet vna enuntiatio ex ipsis multis simul & ex singulis diuisim. ex quo cõtra sophistas monet quando recte fiat illatio a diuisis ad coniuncta, & a coniunctis ad diuisa. Tertio loco expositæ sunt Antiphases quas vocant modales de possibili contingenti, Impossibili, & neceßario, in quibus negatio, non, addita modo gignit negationem: esse vero, & non eße sunt in his enuntiationibus veluti res subiectæ. proponit etiam quatuor coordinationes earum modalium, quę idem valent sicuti eas ordinauerant veteres, & errorem illorum emendat. Vltimo loco quæstione proposita varijs rationibus ostendit in unica vera Antiphasi esse maximam oppositionem, & contrarietatem.


ARI-



ARISTOTELIS ANALYTICORVM PRIORVM.

Liber Primus.





N prima Philosophia his fere verbis significat maximam horum librorum utilitatem, ubi monet, qui ignoret Analytica nullius disputationis de rerum ueritate eſſe idoneum auditorem. non ergo recte ad ſcientias perdiſcendas accedimus, sine hac doctrina Analytica. huius doctrinæ inſcriptio quã uim habeat non eſt inutile considerare. Αναλύειν apud grçcos eſt reſoluere. reſpicit ergo aliquid quod compoſitum eſt. in ſuperiore libro cuius ſubiectum eſt enuntiatio simplex, vidimus eſſe & aliam enuntiationem compoſitam ex affirmationibus, & negationibus, ad quam monuimus dirigi tractationem ſuperioris libri. ſunt enim liber Categoriarum, & liber de interpretatione principia prçcognoſcenda ante hanc Analyticam doctrinam, cuius ſubiectum genus eſt Demonſtratio signi-

ficata per Enuntiationem compositum. cuius Demonstrationis nexus duplex est exterior & interior; hic tractatur in posterioribus duobus libris Analyticis, ille in his prioribus. de hoc duplici vinculo dicetur suo loco. nunc satis sit scire Analytica priora tractare, quæ pertinent ad nexum exteriorem, posteriora Analytica tractare, quę pertinent ad nexum interiorem Demonstrationis. indicauit in principijs superioris libri Enuntiationem compositam esse vnam orationem nexu, & vinculo. hoc nunc vinculum demonstrabitur, in quo potißimum essentia doctrinę Analyticæ posita est, quo & quali scilicet duplici vinculo constet hæc oratio composita, quę vocatur Demonstratio. videtur igitur hęc inscriptio innuere aliquid, quod pertinent quasi ad dissoluendum hoc vinculum huius Enuntiationis compositæ, quæ vocatur demonstratio. & reuera in docendo quomodo componatur hęc oratio, ita quod docet subijcit oculis, vt quisque cernat ipsas resolutas partes, & ipsius vinculi vim in astringendis partibus, vt nihil eo vinculo fortius esse poßit. & sic hac inscriptio videri potest significare rationem certißimam, & euidentißimam docendi, quæ pertinent ad doctrinam Demonstrationis. cuius doctrinæ est Aristoteles ipse inuentor, & auctor.

PROOEMIVM IN CVIVS PRIMA parte indicat genus subiectum, & quo nomine vocari debeat scientia, quæ ipsum tractat.

Primò dicendum qua de re, & cuius scientiæ est ea de re consideratio. est enim de Demonstratione, & id genus tractat scientia demonstratiua.

SCHO-

SCHOLIVM.

Qua de re.

Quod est grece περὶ τι semper significat rem subiectam, in qua versatur disputatio, & qua res suscipitur tractanda. diximus id fere solere Aristotelem indicare, sicut fecit in superiore libro cum dixit Oratio Enuntiatiua praesentis est contemplationis. verum id multo magis hic erat indicandum, quoniam huius methodi inuentor, & auctor est Aristoteles, atq. tum subiectum tum scientia sunt res noua.

Et cuius scientiae.

Sicut in Procemio primi libri Ethicorum postquam indicauit, qua res subiecta susciperetur tractanda, subiecit etiam videndum cuius esset scientia, seu facultatis eam rem tractare: sic hoc loco verbum graecum Καὶ τίνος nihil aliud potest innuere, nisi cuius scientia: quod etiam confirmat id quod sequitur huic respondens verbo, & est scientia demonstratiuę.

Est enim de Demonstratione.

In graeco repetitur dictio περὶ, qua absque vlla dubitatione pertinet ad indicandum subiectum. & qui summis viribus conantur alio contorquere sententiam horum verborum, vt nec rem subiectam nec scientiam, quę rem eam tractet, significent, frustra id conantur sicut fusius in nostris commentarijs demonstrauimus.

Et id genus tractat scientia Demonstratiua.

Quę nam vero alia scientia tractet de Demonstratione? non Dialectica, qua est facultas communis, vt in posterioribus Analyticis, & in Topicis aperte dicitur. cuius subiectū est τὸ δοξαστὸν, idest id quod opinione nititur, sicut subiectū demonstrationis sunt qua ἐπιστητὰ uocatur, quoniā ad scientiam pertinent, qua sunt necessaria,

nec possunt aliter se habere, cum illa quę pertinent ad opinionem sint contingentia, & mutabilia. Iure ergo Demonstratio, & materies Demonstrationis pertinet ad scientiam Demonstratiuam.

Deinde statuendum, quid sit Propositio, & quid terminus, & quid Syllogismus, & cuiusmodi sit perfectus Syllogismus, & cuiusmodi imperfectus: post hæc autem quid sit hoc in hoc toto esse, aut non esse, quidque uelimus esse de omni, aut de nullo prædicari.

SCHOLIVM.

Secunda pars proœmij in qua ponuntur principia prę cognoscenda ante doctrinam tradendam per definitionem, sicut fecit in superioribus libris. quod cum faciendum sit, & faciat in omni methodo, quis non iure miretur hoc non eße animaduersum ab his, qui tam acriter vnus aduersus alium disputant de methodo Aristotelica. hoc enim vno tollitur omnis dissensio, cum sit necesse concedi ex Aristotelis sententia, vnam tantum rationem esse recte docendi de omni re. sed de hoc in commentarijs, & in disputatione de vnica methodo Aristotelica. Verum aliquis iure quærat cur indicato genere subiecto, nec numerat in principijs pręcognoscendis demonstrationem, nec eam definit, cum hęc pręcipue requiratur in omni methodo, vt genus subiectum de quo doctrina tradenda est, in primis definiatur. diximus ante naturam, & vim Demonstrationis perspici in duplici nexu: quorum alter est exterior ad ordinem pertinens, quo astringitur omnis oratio syllogistica communis Demonstrationi cum omni oratione syllogistica: & hic

ordo

ordo communis nomine syllogismi continetur. itaque syllogismus est subiectum genus huius prioris disputationis. qui syllogismus proponitur definiendus. alter nexus interior, quo distinguitur Demonstratio a cæteris orationibus syllogisticis, tractatur in posterioribus duobus libris Analyticis sequentibus: vbi definitur Demonstratio cum alijs principijs præcognoscendis ante illam doctrinam, quæ proprie tangit Demonstrationem.

Deinde statuendum.

Satis fuit verbo indicare genus subiectum, quod postea suo loco definietur, & cum Methodum exorsus sit, hoc modo primo dicendum qua de re, cur non discimus omnes docentes debere indicare, quid sint docturi, cur non credimus id semper ab Aristotele fieri, cur stulte in omnibus libris Aristotelis semper contenditur de subiecto libri? verum indicato subiecto, & nomine scientiæ dicit definienda esse principia præcognoscenda, quę constituuntur, vt fundamenta quędam ex ædificandæ doctrinæ.

Quid sit propositio.

Vtor nomine adeo vsitato in scholis ab omnibus, quãquam minime respondet græco nomini. nam protasis est protensio, ac veluti linea producta. cum enim doctrinam conformandæ orationis syllogisticę resolutam in sua principia, sicut faciunt disciplinæ Mathematicæ subijcere vellet oculis, tanquam figuras, quæ spectarentur, excogitauit, quarum partes quasi lineas, & ea quibus lineæ concluduntur, terminos vocauit, & recte: sic enim & orationem ipsam tractat, vt rem abstractam a materia, vti magnitudines tractantur in Geometria.

Et quid terminus.

In superiore libro partes enuntiationis, idest Affirmationis, & negationis vocabantur nomina, & verba: nunc enuntiationes vocantur protensiones, quoniam re-

respiciunt figuram conformandam, & prædicata, & subiecta vocantur termini ceu puncta quibus concluditur linea, & tota figuræ conformatio resoluitur in tres terminos, vt videbimus. varijs igitur nominibus, vt res & tempus postulat, rem eandem nominat. quod non videntur intellexisse, qui confecerunt libros de terminis.

Et quid syllogismus.

Hoc est genus subiectum huius prioris tractationis, qui est nexus omnis orationis syllogisticę, quæ diligenter & copiose his duobus prioribus libris exponitur.

Et cuiusmodi sit perfectus syllogismus, & cuiusmodi imperfectus.

Syllogismus non secatur in species, sed hęc nomina significant quid accidat syllogismo. & sicut doctrina est noua, ita hęc nomina sunt Aristotelis, vt videbimus.

Post hæc autem.

Superiora pendent alterum ab altero, hoc est principium pręcognoscendum separatum ab illis. sunt autem idem hoc esse in hoc toto, & prędicari de omni, hoc non esse in hoc toto, & prædicari de nullo.

Propositio igitur est oratio, quæ vel ait, vel negat aliquod prædicatum dici de aliquo subiecto: quę propositio, vel vniuersalis est, vel particularis, vel indeterminata. dico vniuersalem, quæ subiecto, vel omni vel nulli inesse dicit prædicatum; particularem, quæ subiecto alicui, vel non alicui, aut non omni inesse; indeterminatam quæ inesse, aut non inesse absque illis, Omni, Nulli, Alicui, Non omni: vt si dicatur Contrariorum esse eandem scientiam, aut Voluptatem esse rem bonam.

SCHO-

SCHOLIVM.

Incipit definire, quæ proposuit præcognoscenda, & ea dicere de singulis, quæ præcognita habere oporteat ante doctrinam tradendam. non posuit primo loco definitionem termini, tametsi partes propositionis videantur esse termini, sicut in superiore libro nomen & verbum primo definita sunt. nam cum terminus sit res, qua aliquid terminatur, videtur primo poni debuisse id, quod terminatur quam id, quod terminat. & terminus definitur id in quod dissoluitur, non ex quo componitur propositio. & primo loco poni debuit propositio, cum syllogismus, sit immediate compositus ex propositionibus.

Propositio igitur est oratio.

Ex definitione enuntiationis posita in superiore libro quisq; facile intelligere potest re ipsa idem esse Enuntiationem, & propositionem; hoc differunt quoniam Enuntiatio est res per se ipsa considerabilis, Propositio seu protensio habet relationem ad syllogismum, qui ex ipsa componitur. quod igitur nunc ponitur præcognoscendum de Propositione est notum ex superiore doctrina de affirmatione, & negatione, quæ sunt partes propositionis, sicut erant enuntiationis.

Quæ propositio vel vniuersalis est.

Hæc quoque nota sunt ex superiore doctrina vbi exposita sunt quinque species Antiphasis. Hæc uero tria, quæ accidunt propositionibus, vt sint vel vniuersales, vel particulares, vel indeterminatę, fere adhibentur ad vsum omnis generis syllogismorum. nec alia varietas quærenda est in conformandis syllogismis. quam varietatem more suo declarat exemplis. atque ex hac triplici varietate propositionum, vt videbimus componet syllogismos.

Differt

Differt autem Demonstratiua propositio a Dialectica, quoniam Demonstratiua est pars altera contradictionis assumpta: non enim interrogat, sed accipit qui demonstrat. at Dialectica est interrogatio totius contradictionis. Sed nihil intererit ad syllogismum vtriusque conficiendum. nam tam qui demõstrat, quam qui interrogat, syllogismũ conficit ex eo, quòd sumpsit aliquod prædicatum alicui subiecto inesse vel non inesse. Quare uniuerse Propositio syllogistica est Affirmatio, aut Negatio, idest oratio, quę uel ait, uel negat aliquod prædicatum dici de aliquo subiecto eo quo dictum est modo: Demõstratiua est, si uera sit & sumpta de hypothesibus, quæ sunt propositi generis principia: Dialectica est interroganti quidẽ petitio partis alterius contradictionis, quam interrogat, syllogistica uero conficienti est assumptio eius, quod verum videtur & probabile, sicut in Topicis dictum est. quid igitur propositio, & quid differat syllogistica tum quæ est demonstratiua tum quæ dialectica, accurate quidem, & subtiliter in sequentibus libris posterioribus dicetur. quod autem desiderat præsens tractatio, satis sic nunc hæc distincta sint.

Terminum uoco id, in quod dissoluitur propositio, idest tum id, quod prædicatur, tum id de quo prædicatur siue Esse coniungat

gat prędicatum cum ſubiecto, ſiue Non eſse alterum ab altero diſiungat.

SCHOLIVM.

Differt autem.

Dictum eſt in ſuperiore libro de interrogatione dialectica, quod hic repetitur eſse interrogationem totius cō traditionis. nihil dictum eſt de propoſitione demonſtratiua, quia nec de Demonſtratione, quam hic indicauit eſse genus ſubiectum librorum Analyticorum: itaq; hoc loco cum agitur de propoſitione recte ponitur diſcrimen propoſitionis Demonſtratiuæ, & Dialecticæ: & propoſitionem ipſam ſumptam pro genere vocat propoſitionem ſyllogiſticam, ideſt, quæ adhibetur ad conficiendos ſyllogiſmos, cuius duæ ſunt ſpecies Demonſtratiua & Dialectica, ſicut & ſyllogiſmi alij ſunt Demonſtratiui alij Dialectici: quorum diſcrimen proprie cognoſcetur in poſterioribus Analyticis, ſed tractatio naturæ, & vſus ſyllogiſmi Demonſtratiui in illis libris proprie traditur, tractatio vero naturæ, & vſus ſyllogiſmi Dialectici exponitur in Topicis. nam in his libris prioribus, quorum ſubiectum eſt ſyllogiſmus, neceſſitas tantum vinculi exterioris omnium ſyllogiſmorum demonſtratur.

Non enim interrogat.

Qui docent & ſcribunt, vt diximus etiam in ſuperiore libro, arbitratu ſuo docent & ſcribunt. Interrogans pendet ab arbitrio reſpondentis. nec ſumit arbitratu ſuo ex quo ſyllogiſmum conficiat, ſed id ſumit, quod conceditur a reſpondente.

Ex eo quod ſumpſit aliquod prædicatum.

His verbis ſignificatur propoſitio, vel affirmatiua, vel negatiua.

Quare

nexu nullus externus terminus desideretur ad eam efficiendam necessitatem.

Perfectum voco syllogismum, qui nullo alio eget adminiculo extra ea, quæ sumpta sunt, quo appareat nexus syllogistici necessitas.

Imperfectum voco, qui eget, vel vno, vel pluribus adminiculis, quæ necessaria quidem sunt ex virtute subiectorum terminorum, sed per expressas propositiones assumpta non sunt.

Alterum esse in altero toto, & alterum prædicari de altero omni, idem est. Porro de omni prædicari dico, cum non licet partem vllam subiecti capere, de qua alterum, idest prædicatum non dicatur. atque ex hoc manifestum est, quid sit de nullo prædicari, cum scilicet non licet partem vllam subiecti capere de qua alterum dicatur.

SCHOLIVM.

Apud Au. Gellium est uersio huius definitionis syllo gismi hoc modo, syllogismus est oratio in qua consensis quibusdam, & concessis aliud quid quam, quæ concessa sunt, per ea quæ concessa sunt, necessario consequitur. quę versio siquis attente consideret mentem Aristotelis, qui suscipit definiendum syllogismum acceptum vniuerse, & in cuius definitione appareat necessitas ordinis, & vinculi exterioris, intelliget illa uerba τεθέντων τινῶν, & κειμένων, quę significant ordinem

collo-

perfectam, & nullius opis indigam vinculi syllogistici necessitatem.
Imperfectum voco.
Secunda, & tertiæ figura syllogismos vocat imperfectos, in quibus est quidem necessitas nexus syllogistici, sed obscurior. vt igitur appareat, & sit euidens, sicut in prima figura, indigent illi syllogismi vno, vel pluribus adminiculis, vt videbimus.
Quæ necessaria quidem sunt.
Hæc adminicula sunt quædam propositiones, quæ potestate & virtute insunt, vt videbimus, in assumptis syllogismi propositionibus. qua de re suo loco.
Alterum esse in altero toto.
Ad multa adhibebitur hoc principium, vt videbimus, quo principio declaratur, quam vim habeant eiusmodi propositiones Omnis homo est mortalis, & nullus lapis est homo: significant enim nihil contineri sub hoc subiecto, homo, de quo mortale non dicatur, & nihil sub lapide de quo prædicetur homo. atque hactenus de propositis principijs præcognoscendis.

Quoniam autem omnis propositio, vel est prędicati, quod inest, vel prædicati, quod inest necessario, vel prædicati, quod contingit & potest inesse; quarum propositionum in singulis tribus effandi generibus aliæ sunt affirmatiuæ aliæ negatiuæ, atque harum rursus aliæ sunt vniuersales, aliæ particulares, aliæ indeterminatę, Negatiuam quidem uniuersalē de prædicato, quod inest, necesse est locali terminorum commutatione conuerti, veluti, si Nulla voluptas sit res bona, necesse est Nullam rem bonam esse voluptatem: Affirmatiuam autem

uniuersalem necesse est omnino conuerti, sed non ut enunciata est uniuerse, sed particulariter, ueluti si omnis uoluptas est res bona, etiam aliqua res bona est uoluptas. ex particularibus Affirmatiua conuertitur particulariter. si enim aliqua uoluptas est res bona etiam necessario aliqua res bona erit uoluptas. In negatiua nulla necessitas est talis conuersionis. non enim si aliquod animal non est homo, necesse est & aliquem hominem non esse animal.

SCHOLIVM.

Quoniam autem.

Monuimus antea constitutis principijs praecognoscendis, sic ferè Aristotelem solere trãsire ad doctrinam tradendam. quod vero primo loco aßumitur notum est ex superiore libro, vbi obiter docuit alias res necessario inesse, alias contingenter, & mutabiliter, quia non semper sunt, alias non inesse, sed poße inesse, quia non semper non sunt: reliqua pars assumptionis exposita est supra propositionem syllogisticam solere tribus modis adbiberi ad vsum syllogismi, Vniuerse, particulariter, & indeterminate.

Negatiuam quidem vniuersalem.

Hæc est doctrina, quam primo loco tradit de conuersione propositionis syllogisticę in triplici rerum genere, in qua commutant loca pradicatum, & subiectum atque alterum in alterius locum migrat, & quod erat prędicatum fit subiectum, quod erat subiectum fit prędicatum. ac primo conuersionem hanc demonstrat in genere contingenti in prędicatis, quæ insunt non neceßario, & mutabiliter, deinde in prędicatis, quæ insunt semper ne-

neceßario & immutabiliter, vltimo loco quæ poßunt inesse, & pertinent ad euentum incerti euentus: de quo genere potestatis, & prædicatorum, & rerum dictum est in superiore libro. primum genus significatur verbo, inesse, scholæ vocant propositiones de ineße. secundum genus significatur verbo, Necesse, Tertium genus verbo, Contingere, cum respicit tempus futurum. exemplo indicat id, quod vult docere in primo genere de propositione vniuersali Negatiua, tum de Vniuersali affirmatiua, deinde de particulari affirmatiua. in negatiua particulari non est necessitas huius conuersionis.

Demonstratio Vniuersalis negatiuæ in genere prædicatorum, quæ insunt subiecto mutabiliter.

Ac primo Negatiua uniuersalis enuntietur per terminos A B. sic igitur dico, si nulli B inest A, etiam Nulli A inerit B. Fac enim alicui A uerbi gratia alicui, C, quod insit B, falsum erit, quod ut uerum sumptum est Nulli B inesse A: est enim C pars B.

SCHOLIVM.

Est demonstratio deducens ad id, quod esse & fieri nequit, quæ est familiaris omnibus docentibus, & maxime aperta, & nota. quis. n. nō sentiat illud falsum esse quo cōceßo sequitur, quod nefas est dictu, quod per has litteras A B C tradat doctrinā hāc significat, ut dixi, doctrinā hāc de oratione syllogistica tractari in abstracto,

& id quod docetur verum esse vniuerse, non in hac aut illa re tantum, sicut supra attulit exemplum de voluptate. hac vero demonstratio ita se habet.

Si nullum B est A. hypothesis vera. ergo vera etiam conuersa Nullam A est B. quod sic demonstratur si non das hanc, conuersam des oportet eius contradictoriam Aliquod A est B. verbi caussa, C est B. ergo aliqua pars B est sub A. quod aduersatur hypothesi verę qua dicitur Nullum B esse A. ergo conuersa vera Nullum A est B.

Nititur hęc demonstratio illo Axiomate, Oportet aut affirmare, aut negare: & principio, quod positum est, dici de nullo, & expositio illa, verbi caußa, C, est modus rem adducens sub sensum, quem graci appellant ἔκθεσιν; Tradita est hęc prima doctrina de Vniuersali Negatiua: quoniam hac commode adhibetur ad demonstranda, quę consequuntur: hac vero his solis vtitur, qua posita sunt in principijs pracognoscendis, sicuti postulat methodus, & ratio docendi: vt pracedant, qua adhibentur in demonstrandis, qua sequuntur.

Si vero Omni B inest A etiam alicui, A, inerit B. fac enim non inesse. Nam si nulli inerit, etiam B non inerit, A. at Omni inesse positum est. similis demonstratio est propositionis particularis Affirmatiuæ. si enim Alicui B inest A etiam Alicui A necesse est inesse B. nam si Nulli, etiam Nulli B. inerit A. Quòd si Alicui B nō inest A, non est necesse etiam Alicui A non inesse B. ut si pro B hoc est pro subiecto ponatur Animal, pro A prædicato ponatur Homo: nam verum est Aliquod Animal non esse Ho-

minem

minem, falsum est aliquem hominem non esse animal: Omnis enim Homo est Animal.

SCHOLIVM.

Demonstratio Affirmatiuæ vniuersalis, & particularis, quarum est eadem conuersio in particularem affirmatiuam, simili modo per deductionem ad impossibile, ad quam adhibetur demonstrata conuersio Negatiuæ Vniuersalis.

Si omne b est a	*Nullum a est b*
Etiã Aliquod, a, est, b, necessario	*Nullum b est a*
Si aliquod, b, est a	*Nullum a est b*
Etiam aliquod a est b necessario	*Nullum b est a*

Nam si Nulli.

Breuis est in re aperta ex superiori demonstratione. si enim non detur etiam aliquod A esse B, dabitur contradictoria Nullum A esse, b, cuius conuersio iam demonstrata est: sequetur ergo Nullum b esse, a, quod contradicit hypothesi concessa, & uera. eadem autem est vtriusque affirmatiuę demonstratio.

Particularis negatiua nullam habet necessitatem conuersionis, quod satis fuit exemplo indicare, sicut supra.

Conuersio propositionum Necessariarum.

Eodem modo se res habebit etiam in propositionibus necessarijs. nam Vniuersalis negatiua uniuerse conuertitur· Affirmatiua vtraq; conuertitur particulariter. Nam si Necesse est nullum B esse A, Necesse est etiam Nullum A.

esse B. Fac enim alicui inesse, etiam A inerit alicui B. Et si Necesse est Omne, aut aliquod B esse A Necesse erit etiam Aliquod A esse B. Nam si non sequatur id necessario, nec illa hy pothesis erit vera, Necesse est Aliquod B esse A. Particularis negatiua, non conuertitur ob eandem, quam supra diximus caussam.

SCHOLIVM.

In superiori genere per, inesse, significantur prędicata, quę actu insunt: quod vero inest actu, necessario inest est igitur hęc coniunctio necessitatis inter superiores propositiones, & has necessarias: licet illæ sint necessaria cum adiuncta mutabilitate, hę vero sint simpliciter necessarię. & propterea eodem modo se habet conuersio in vtroque genere, & harum propositionum demonstratio fit per eandem doctrinam demonstratam Negatiuę Vniuersalis: per quam ostenditur, quod sequitur impossibile, si non concedatur illa conuersio.

Fac enim alicui inesse.

Nisi accipias verbum contingere pro inesse, quo ferè modo semper accipitur, vt dicetur infra, demonstratio non fiet per nota, sicut oportet; id non viderunt interpretes, qui propterea incidunt in quęstiones inexplicabiles. sic igitur dicit, vt supra si non das sequi conuersam Necesse nullum a esse b, dabis oppositam contradictoriam Aliquod a esse b, quę conuertitur, vt vidimus Aliquod b est a. hæc vero contradicit hypothesi datæ Nullum b est a. hęc Aristoteles innuit tantum, quia sunt nota ex superiori doctrina.

Nam

Nam si non sequatur id necessario.

Hęc enim est sententia verborum gręcorum. si enim non sit necesse dari scilicet hanc conuersam Necesse aliquod a esse, b. sequetur datam hypothesim esse falsam Necesse aliquod, b, esse, a, atque ita more suo proposita demonstratione Vniuersalis, & particularis affirmatiuę breuitatis caussa, quod sequitur impossibile, innuit tantum in particulari. sic vero subijciuntur etiam oculis.

Hypothesis data

Si necesse est Nullum b esse a  *Aliquod a est b*
Necesse etiam est Nullũ a esse b *Aliquod b est a*

hypothesis data

Si Necesse omne b esse a  *Nullum a est b*
Necesse etiam est aliquod a esse b *Nullum b est a*

hypothesis data

Si necesse est aliquod b esse a  *Nullum a est b*
Etiam necesse est aliquod a esse, b, *Nullum b est a*

Particularis negatiua non conuertitur. cape supra positum exemplum Necesse *est aliquod animal non esse hominem, hac vera est: at conuersa est falsa* Necesse *aliquem hominem non esse animal.*

Vsus triplex verbi ἐνδέχεσθαι, idest contingere.

In propositionibus contingentibus, vt tertii generis prędicatorũ, quę contingũt, & possunt inesse, quoniã multis modis dicitur cõtingere: nam dicimus contingere tum id, quod necessarium est, tum id quod non necessarium, tum illud qđ possibile est esse: in affirmatiuis quidẽ

propositionibus eo quo dictum est modo conuersio se habebit in omnibus. nam si contingit omne aut aliquod, b, esse, a, sequitur necessario, vt etiam cõtingat aliquod, a, esse, b, si enim nullum, etiam continget nullum, b, esse, a, id enim prius demonstratum est.

SCHOLIVM.

Tertium genus rerum, quod pertinet ad potestatem futuri euentus incerti, distinctum fuit ab alijs duobus per verbum contingit. demonstraturus igitur conuersiones reliquarum propositionum tertij propositi generis per verbum contingit, sicut facere oportet in vocibus æquiuocis, prius monet, & declarat triplicem usum verbi ἐνδέχεσθαι, idest contingere. accipitur enim & pro necesse esse, & pro inesse, & significat prædicata inesse immutabiliter & mutabiliter, esse necessaria, & non necessaria. tertia significatio pertinet ad potestatem futuri euentus. significat esse posse in rebus, scilicet mutabilibus.

In affirmatiuis quidem propositionibus.

Vtraque affirmatiua, & vniuersalis, & particularis conuertitur, sicut supra docuit, particulariter in omnibus significationibus. quando significat Necesse esse, hoc iam demonstratum est, & quando accipitur pro inesse non necessario & mutabiliter. in tertia vero significatione similiter res procedit, vt in hoc exemplo contingit omnem, vel aliquem hominem canescere in senectute. conuertitur enim sic necessario contingit aliquod canescens in senectute esse hominem. itaque vnica demonstratione huic rei tanquam notę ex superioribus satisfacit.

Si

Si enim nullum.

Si enim non datur conuersa particulariter, oportet dari huic oppositam contradictoriam. Contingit nullum a esse, b, quæ conuertitur, vt demonstratum est: ita sequitur impossibile, vt duæ contraria, & duæ contradictoria sint vera.

Si contingit omne aut aliquod B esse A | *Necesse nullum, a, esse b*

Etiam contingit aliquod, A, esse, B, | *Necesse nullum b esse, a,*



Notandum in tertia significatione non contingit esse, idem valere quod Necesse non esse, vt didicimus in superiore libro. ita etiam ipsi seruit posita demonstratio.

In propositionibus negatiuis, non ita se habet conuersio in omnibus sicut antea dictum est. sed in quibuscũque contingit, accipitur pro necessario, non inesse, aut pro non necessario non inesse, in his eodem modo sicut antea fit conuersio: vt si quis dicat contingit nullum hominem esse equum, aut contingit nullã vestem esse albam: alterum enim ex his prædicatis necessario non inest subiecto: alterum non necessario non inest, & similiter vtraque conuertitur. si enim contingit nullum hominem esse equum, etiam cõtingit nullum equum esse hominem, & si contingit nullam vestem esse albam, etiam contingit nullum album esse vestem. si enim detur contingere aliquod album esse vestem, dabitur, & cõuersa necessario aliquam

quam vestem esse albam. id enim iam antea demonstratum est. pariter in his duabus significationibus negatiua particularis non conuertitur necessario.

SCHOLIVM.

De affirmatiuis propositionibus primo loco dictum est, quia in his in omnibus significationibus verbi contingere fit, & demonstratur conuersio, vt supra: non sic est de negatiuis: sed quando negatiua vniuersalis significat necesse non esse, vt contingit, idest Necesse nullum equum esse hominem, aut non necesse non esse, vt Contingit nullam vestem esse albam, quod idem est, ac si dicas Nulla vestis est alba, in his fit conuersio, & demonstratio vt supra, & particularis negatiua non conuertitur necessario. Contingit enim significat idem quod necesse in Affirmatiuis, & negatiuis, de quibus docuit supra, aut significat idem quod verbum inest, cuius doctrina primo loco tradita est. in qua significatione prædicatum in affirmatiuis inest, sed non necessario, & mutabiliter, & in negatiuis similiter non inest, sed non necessario, & mutabiliter. sequitur quando contingit accipitur pro possibile esse de euentu incerto.

Quæcunque autem contingere dicuntur, quoniam ferè sic fiant, & naturaliter eueniãt, quo nos modo contingens distinguimus ab alijs rerum generibus: non similiter se habebit doctrina conuersionis in propositionibus negatiuis: sed propositio vniuersalis negatiua

non

non conuertitur, particularis autem conuertitur. quod erit perſpicuum, cum de contingente tractabimus. nunc ad ea, quæ dicta ſunt id declarandum accedat, contingere nulli, aut alicui non ineſse habere figuram non negandi, ſed aiendi: nam Contingere eundem quem, eſt, ordinem tenet in conficienda affirmatione & negatione. Eſt, vero in quibus propoſitionibus tertiũ adiacet prædicato, ſemper, & omnino efficit affirmationem, ut Eſt non bonum, aut eſt non album, aut ſimpliciter Eſt non hoc. declarabitur autem hoc quoque in ſequentibus: ſed quod pertinet ad conuerſiones perinde ſe habebunt, ac ſi numerentur cum aliis negationibus. His conſtitutis dicamus iam per quæ, & quando, & qua ratione conficiatur Omnis ſyllogiſmus, poſterius dicendum erit de Demonſtratione. prius enim dicendum eſt de ſyllogiſmo, quam de Demonſtratione, propterea quod ſyllogiſmus ſit res magis vniuerſalis. eſt enim Demonſtratio ſyllogiſmus quidam: Nom omnis autem ſyllogiſmus eſt Demonſtratio.

SCHOLIVM.

Quæcunque autem.

Res omnes, aut ſunt neceſſarię, quarum natura eſt immutabilis, aut ſunt contingẽtes, quarum natura mutationi ſubiecta

subiecta est. sed contingens duplex est, vnum, quod tam potest esse quam non esse: de hoc nulla est quaestio, nulla doctrina: alterum quod ut plurimum fit, & naturaliter, & raro fallit exitum talem. de hoc sunt multa doctrina, & artes. in hoc contingente negatio vniuersalis non conuertitur: quod docebit suo loco, cum tradet doctrinam conformandi syllogismi in hoc genere contingentis. de quo contingente tunc accurate tractabit, & melius intelligentur, quę nunc dicuntur, & antea dicta sunt de hoc rerum genere, quod vocatur contingens.

Particularis autem conuertitur.

In primo rerum genere, quod significatur per verbum inest, cum prædicatum actu inest in subiecto, & quanquam inest mutabiliter, est tamen constans ex sua natura & firmum & fere necessarium, vt suo loco docebit, dixit particularem negatiuam non conuerti, sicut non conuertitur in genere necessario, & idem exemplum attulit in vtroque genere, quod erat ex materia necessaria: quoniam primum genus, quod actu esse intelligitur, proximè accedit ad necessarium, & propterea demonstratio conuersionis negatiuæ vniuersalis recte adhibita est ad reliqua demonstranda etiam in genere necessario. nunc in hoc contingente, quod actu non est, sed tantum potest esse dicit particularem negatiuam conuerti. accidit enim hoc in contingentibus, & mutabilibus, vt contingit aliquem hominem non canescere in senectute contingit aliquod canescens in senectute, non esse hominem: Contingit aliquam vestem esse albam Contingit aliquod album non esse vestem. quòd igitur, vel non conuertatur, vel conuertatur, accidit ex vi materię, vel neceßarię, vel contingentis.

Contingere nulli.

Hoc didicimus in superiore libro negationem in his, quas vocant modales, effici per modum, sicut in alijs

enun-

enuntiationibus efficitur per non est. Sed negatio, quæ habeat adiunctam necessitatem, non potest alio modo fieri quam sic ut contingit nullum equum esse hominẽ, propterea sic conuertitur, vt negatiua.

Aut simpliciter Est non hoc.

Significat propositionem ex subiecto tantum, & verbo vt Est non homo.

His constitutis.

Hoc uerbo usus est supra cum loqueretur de constituendis principijs. itaque videtur significare hanc doctrinam de conuertendis propositionibus collocandam esse cum principijs præcognoscendis, ante doctrinam syllogismi: quam nunc incipiet tradere. qui syllogismus est genus subiectum Priorum librorum Analyticorum.

Per quæ & quando, & qua ratione.

Per quæ, per duas propositiones, & quando ex his certa lege connexis gignatur syllogismus, & qua ratione, indicat collocationem medij termini, quæ est triplex.

Posterius dicendum de Demonstratione.

Hinc libri priores cõtinentes doctrinam de syllogismo, qui complectitur orationem omnem syllogisticam, & libri posteriores continentes doctrinam, de Demonstratione: quæ tamen duplex doctrina, ut dicit in fine posteriorum, est ipsa una scientia demonstratiua initio proposita, cuius subiectum est Demonstratio: quæ propter duplicem nexum, quo constringitur, duplicem hanc contemplationem necessario postulabat.

Prima doctrina, quæ in triplici rerum genere continet rationem vniuersam conformandi, & perficiendi syllogismi, quam vocat generationem syllogismorum.

PRIMA

PRIMA FIGVRA, QVÆ EST nexus syllogiſticus omnium princeps, in quo plane, & dilucide perſpicitur colligendę compræhenſionis neceſſitas.

QVando termini tres hoc ordine inter ſe conſtricti ſunt, vt vltimus ſit in toto medio, & medius ſit vel non ſit in toto primo, neceſſe eſt extremorum terminorum eſſe ſyllogiſmum perfectum. voco medium terminum, qui & ipſe in alio, & alius in hoc eſt: qui ordine & ſitu medius exiſtit: extremos terminos voco tum qui ipſe in alio eſt, tum in quo alius eſt. Nam ſi A de omni B, &, B, de omni C, Neceſſe eſt A de omni C prædicari. prius enim dictum eſt quomodo accipiamus Prædicari de omni. Similiter ſi A de nullo, B, & B de omni C prædicatur ſequitur neceſſario, vt A nulli C inſit. Si vero primum de omni medio prædicatur, & Medium nulli vltimo ineſt, non erit ſyllogiſmus extremorum terminorum. nihil enim neceſſario conſequitur propter ea, quæ antecedunt: ex quibus conſequi poteſt, vt primum, & omni, & nulli vltimo inſit. nec ergo progignitur ex his conſequentia particularis neceſſaria, nec vniuerſalis. & cum ab hoc nexu nulla ſequatur neceſſitas non erit ſyllogiſmus. Termini ex quibus

ſe-

ſequitur omni ineſſe Animal,Homo,Equus:ex quibus ſequitur nulli ineſſe Animal, homo,lapis. Neque quando Primum nulli medio, & medium nulli vltimo inſit, neque ex tali nexu erit ſyllogiſmus. termini ex quibus ſequatur omni ineſſe ſciētia,Linea,Medicina:ex quibus ſequatur nulli ineſſe,ſciētia,Linea, Vnitas. At terminis quidem ſumptis vniuerſe patet quando erit, & quando non erit ſyllogiſmus: & ſi ſit ſyllogiſmus oportere hoc ordine, & modo connexos eſſe terminos, & termini ſi hoc ordine, & modo ſint connexi, oportere ſyllogiſmum eſſe.

SCHOLIVM.

Princeps doctrina ſyllogiſmi, quæ hoc libro traditur,triplici conſideratione continetur, prima docet rationem componendi ſyllogiſmi,quam vocat generationem ſyllogiſmorum,ſecunda docet rationem parandæ copiæ ſyllogiſmorum,tertia docet rationem diſsoluendi ſyllogiſmos factos, qui reperiuntur in libris philoſophorum, & docentium. hanc triplicem contemplationem regit terminus, quem vocat medium. cuius naturam, & vim nunc videbimus in componendo ſyllogiſmo.

Quando termini tres.

Hic eſt ordo quo prima figura conformatur. vidimus terminos appellari ſubiectum, & prædicatum, in quæ diſſoluitur propoſitio, quę eſt veluti linea terminata duobus punctis.

Omne

esse B. Fac enim alicui inesse, etiam A inerit alicui B. Et si Necesse est Omne, aut aliquod B esse A Necesse erit etiam Aliquod A esse B. Nam si non sequatur id necessario, nec illa hy pothesis erit vera, Necesse est Aliquod B esse A. Particularis negatiua, non conuertitur ob eandem, quam supra diximus caussam.

SCHOLIVM.

In superiori genere per, inesse, significantur prędicata, quę actu insunt: quod vero inest actu, necessario inest est igitur hęc coniunctio necessitatis inter superiores propositiones, & has necessarias: licet illæ sint necessariæ cum adiuncta mutabilitate, hę vero sint simpliciter necessarię. & propterea eodem modo se habet conuersio in vtroque genere, & harum propositionum demonstratio fit per eandem doctrinam demonstratam Negatiuę Vniuersalis: per quam ostenditur, quod sequitur impossibile, si non concedatur illa conuersio.

Fac enim alicui inesse.

Nisi accipias verbum contingere pro inesse, quo ferè modo semper accipitur, vt dicetur infra, demonstratio non fiet per nota, sicut oportet; id non viderunt interpretes, qui propterea incidunt in quęstiones inexplicabiles. sic igitur dicit, vt supra si non das sequi conuersam Necesse nullum a esse b, dabis oppositam contradictoriam Aliquod a esse b, quę conuertitur, vt vidimus Aliquod b est a. hæc vero contradicit hypothesi data Nullum b est a. hęc Aristoteles innuit tantum, quia sunt nota ex superiori doctrina.

Nam

Nam si non sequatur id necessario.

Hęc enim est sententia verborum gręcorum. si enim non sit necesse dari scilicet hanc conuersam Neceße aliquod a esse, b. sequetur datam hypothesim eße falsam Neceße aliquod, b, esse, a, atque ita more suo proposita demonstratione Vniuersalis, & particularis affirmatiuę breuitatis caussa, quod sequitur impoßibile, innuit tantum in particulari. sic vero subijciuntur etiam oculis.

Hypothesis data
Si neceße est Nullum b esse a
Neceße etiam est Nullũ a eße b

Aliquod a est b
Aliquod b est a

hypothesis data
Si Neceße omne b esse a
Neceße etiam est aliquod a esse b

Nullum a est b
Nullum b est a

hypothesis data
Si necesse est aliquod b esse a
Etiam neceße est aliquod a esse, b,

Nullum a est b
Nullum b est a

Particularis negatiua non conuertitur. cape supra positum exemplum Necesse *est aliquod animal non esse hominem, hac vera est: at conuersa est falsa* Necesse *aliquem hominem non esse animal.*

Vsus triplex verbi ἐνδέχεσθαι, idest contingere.

In propositionibus contingentibus, vt tertii generis prędicatorũ, quę contingũt, & possunt inesse, quoniã multis modis dicitur cõtingere: nam dicimus contingere tum id, quod necessarium est, tum id quod non necessarium, tum illud qđ possibile est esse: in affirmatiuis quidẽ

propositionibus eo quo dictum est modo conuersio se habebit in omnibus. nam si contingit omne aut aliquod, b, esse, a, sequitur necessario, vt etiam cōtingat aliquod, a, esse, b, si enim nullum, etiam continget nullum, b, esse, a, id enim prius demonstratum est.

SCHOLIVM.

Tertium genus rerum, quod pertinet ad potestatem futuri euentus incerti, distinctum fuit ab alijs duobus per verbum contingit. demonstraturus igitur conuersiones reliquarum propositionum tertij propositi generis per verbum contingit, sicut facere oportet in vocibus equiuocis, prius monet, & declarat triplicem usum verbi ἐνδέχεσθαι, idest contingere. accipitur enim & pro necesse esse, & pro inesse, & significat prædicata inesse immutabiliter & mutabiliter, esse necessaria, & non necessaria. tertia significatio pertinet ad potestatem futuri euentus. significat esse posse in rebus, scilicet mutabilibus.

In affirmatiuis quidem propositionibus.

Vtraque affirmatiua, & vniuersalis, & particularis conuertitur, sicut supra docuit, particulariter in omnibus significationibus. quando significat Necesse esse, hoc iam demonstratum est, & quando accipitur pro inesse non necessario & mutabiliter. in tertia vero significatione similiter res procedit, vt in hoc exemplo contingit omnem, vel aliquem hominem canescere in senectute. conuertitur enim sic necessario contingit aliquod canescens in senectute esse hominem. itaque vnica demonstratione huic rei tanquam notę ex superioribus satisfacit.

Si

Si enim nullum.

Si enim non datur conuersa particulariter, oportet dari huic oppositam contradictoriam. Contingit nullum a esse, b, quæ conuertitur, vt demonstratum est: ita sequitur impossibile, vt duę contraria, & dua contradictoria sint vera.

Si contingit omne aut aliquod B esse A

Etiam contingit aliquod, A, esse, B,



Necesse nullum, a, esse b

Necesse nullum b esse, a,

Notandum in tertia significatione non contingit esse, idem valere quod Necesse non esse, vt didicimus in superiore libro. ita etiam ipsi seruit posita demonstratio.

In propositionibus negatiuis, non ita se habet conuersio in omnibus sicut antea dictum est. sed in quibuscũque contingit, accipitur pro necessario, non inesse, aut pro non necessario non inesse, in his eodem modo sicut antea fit conuersio: vt si quis dicat contingit nullum hominem esse equum, aut contingit nullã vestem esse albam: alterum enim ex his prædicatis necessario non inest subiecto: alterum non necessario non inest, & similiter vtraque conuertitur.. si enim contingit nullum hominem esse equum, etiam cõtingit nullum equum esse hominem, & si contingit nullam vestem esse albam, etiam contingit nullum album esse vestem. si enim detur contingere aliquod album esse vestem, dabitur, & cõuersa necessario ali-

quam

quam vestem esse albam. id enim iam antea demonstratum est. pariter in his duabus significationibus negatiua particularis non conuertitur necessario.

SCHOLIVM.

De affirmatiuis propositionibus primo loco dictum est, quia in his in omnibus significationibus verbi contingere fit, & demonstratur conuersio, vt supra: non sic est de negatiuis: sed quando negatiua vniuersalis significat necesse non esse, vt contingit, idest Necesse nullum equum esse hominem, aut non necesse non esse, vt Contingit nullam vestem esse albam, quod idem est, ac si dicas Nulla vestis est alba, in his fit conuersio, & demonstratio vt supra, & particularis negatiua non conuertitur necessario. Contingit enim significat idem quod necesse in Affirmatiuis, & negatiuis, de quibus docuit supra, aut significat idem quod verbum inest, cuius doctrina primo loco tradita est. in qua significatione prædicatum in affirmatiuis inest, sed non necessario, & mutabiliter, & in negatiuis similiter non inest, sed non necessario, & mutabiliter. sequitur quando contingit accipitur pro possibile esse de euentu incerto.

Quæcunque autem contingere dicuntur, quoniam ferè sic fiant, & naturaliter eueniãt, quo nos modo contingens distinguimus ab alijs rerum generibus: non similiter se habebit doctrina conuersionis in propositionibus negatiuis: sed propositio vniuersalis negatiua

non

non conuertitur, particularis autem conuertitur. quod erit perspicuum, cum de contingente tractabimus. nunc ad ea, quæ dicta sunt id declarandum accedat, contingere nulli, aut alicui non inesse habere figuram non negandi, sed aiendi: nam Contingere eundem quem, est, ordinem tenet in conficienda affirmatione & negatione. Est, vero in quibus propositionibus tertiũ adiacet prædicato, semper, & omnino efficit affirmationem, ut Est non bonum, aut est non album, aut simpliciter Est non hoc. declarabitur autem hoc quoque in sequentibus: sed quod pertinet ad conuersiones perinde se habebunt, ac si numerentur cum aliis negationibus. His constitutis dicamus iam per quæ, & quando, & qua ratione conficiatur Omnis syllogismus, posterius dicendum erit de Demonstratione. prius enim dicendum est de syllogismo, quam de Demonstratione, propterea quod syllogismus sit res magis vniuersalis. est enim Demonstratio syllogismus quidam: Nom omnis autem syllogismus est Demonstratio.

SCHOLIVM.

Quæcunque autem.

Res omnes, aut sunt necessariæ, quarum natura est immutabilis, aut sunt contingẽtes, quarum natura mutationi

subiecta

subiecta est. sed contingens duplex est, vnum, quod tam potest esse quam non esse: de hoc nulla est quæstio, nulla doctrina: alterum quod ut plurimum fit, & naturaliter, & raro fallit exitum talem. de hoc sunt multa doctrinæ, & artes. in hoc contingente negatio vniuersalis non conuertitur: quod docebit suo loco, cum tradet doctrinam conformandi syllogismi in hoc genere contingentis. de quo contingente tunc accurate tractabit, & melius intelligentur, quę nunc dicuntur, & antea dicta sunt de hoc rerum genere, quod vocatur contingens.

Particularis autem conuertitur.

In primo rerum genere, quod significatur per verbum inest, cum prædicatum actu inest in subiecto, & quanquam inest mutabiliter, est tamen constans ex sua natura & firmum & fere necessarium, vt suo loco docebit, dixit particularem negatiuam non conuerti, sicut non conuertitur in genere necessario, & idem exemplum attulit in vtroque genere, quod erat ex materia necessaria: quoniam primum genus, quod actu esse intelligitur, proximè accedit ad necessarium, & propterea demonstratio conuersionis negatiuæ vniuersalis recte adhibita est ad reliqua demonstranda etiam in genere necessario. nunc in hoc contingente, quod actu non est, sed tantum potest esse dicit particularem negatiuam conuerti. accidit enim hoc in contingentibus, & mutabilibus, vt contingit aliquem hominem non canescere in senectute contingit aliquod canescens in senectute, non esse hominem: Contingit aliquam vestem esse albam Contingit aliquod album non esse vestem. quòd igitur, vel non conuertatur, vel conuertatur, accidit ex vi materię, vel necessarię, vel contingentis.

Contingere nulli.

Hoc didicimus in superiore libro negationem in his, quas vocant modales, effici per modum, sicut in aliis

enun-

enuntiationibus efficitur per non est. Sed negatio, quæ habeat adiunctam necessitatem, non potest alio modo fieri quam sic ut contingit nullum equum esse hominẽ, propterea sic conuertitur, vt negatiua.

Aut simpliciter Est non hoc.

Significat propositionem ex subiecto tantum, & verbo vt Est non homo.

His constitutis.

Hoc uerbo usus est supra cum loqueretur de constituendis principijs. itaque videtur significare hanc doctrinam de conuertendis propositionibus collocandam esse cum principijs præcognoscendis, ante doctrinam syllogismi: quam nunc incipiet tradere. qui syllogismus est genus subiectum Priorum librorum Analyticorum.

Per quæ & quando, & qua ratione.

Per quæ, per duas propositiones, & quando ex his certa lege connexis gignatur syllogismus, & qua ratione, indicat collocationem medij termini, quæ est triplex.

Posterius dicendum de Demonstratione.

Hinc libri priores cõtinentes doctrinam de syllogismo, qui complectitur orationem omnem syllogisticam, & libri posteriores continentes doctrinam, de Demonstratione: quæ tamen duplex doctrina, ut dicit in fine posteriorum, est ipsa una scientia demonstratiua initio proposita, cuius subiectum est Demonstratio: quæ propter duplicem nexum, quo constringitur, duplicem hanc contemplationem necessario postulabat.

Prima doctrina, quæ in triplici rerum genere continet rationem vniuersam conformandi, & perficiendi syllogismi, quam vocat generationem syllogismorum.

PRIMA

ſequitur omni ineſſe Animal, Homo, Equus: ex quibus ſequitur nulli ineſſe Animal, homo, lapis. Neque quando Primum nulli medio, & medium nulli vltimo inſit, neque ex tali nexu erit ſyllogiſmus. termini ex quibus ſequatur omni ineſſe ſciētia, Linea, Medicina: ex quibus ſequatur nulli ineſſe, ſciētia, Linea, Vnitas. At terminis quidem ſumptis vniuerſe patet quando erit, & quando non erit ſyllogiſmus: & ſi ſit ſyllogiſmus oportere hoc ordine, & modo connexos eſſe terminos, & termini ſi hoc ordine, & modo ſint connexi, oportere ſyllogiſmum eſſe.

SCHOLIVM.

Princeps doctrina ſyllogiſmi, quæ hoc libro traditur, triplici conſideratione continetur, prima docet rationem componendi ſyllogiſmi, quam vocat generationem ſyllogiſmorum, ſecunda docet rationem parandæ copiæ ſyllogiſmorum, tertia docet rationem diſsoluendi ſyllogiſmos factos, qui reperiuntur in libris philoſophorum, & docentium. hanc triplicem contemplationem regit terminus, quem vocat medium. cuius naturam, & vim nunc videbimus in componendo ſyllogiſmo.

Quando termini tres.

Hic eſt ordo quo prima figura conformatur. vidimus terminos appellari ſubiectum, & prædicatum, in quæ diſſoluitur propoſitio, quę eſt veluti linea terminata duobus punctis.

Omne b est a
Omne c est b

A est primus terminus, & iure primus, qui nulli subijciatur, sed tantum prædicetur.

C est tertius, & ultimus terminus, qui tantum subijcitur.

B est medius terminus, qui & subijcitur, & prædicatur. bis enim dicitur. in prima propositione subijcitur in secunda prædicatur, & hac ratione constringit arctissimo vinculo primum, & tertium terminum, vt si in propositionibus seruetur id, quod præcipit, vt prima sit Vniuersalis affirmatiua, vel negatiua, secunda Affirmatiua, sit necesse fieri syllogismum & comprehensionem extremorum, id est primi, & tertij termini, vel affirmatiuam, vel negatiuam.

Vt vltimus sit in toto medio.

Idest, vt medius prædicetur de omni ultimo. sic enim declaratum est antea, quid sit hoc esse in hoc toto. & hac est secunda propositio, quam oportet in prima figura semper esse affirmatiuam.

Et medius sit, vel non sit in toto primo.

Hæc prima est propositio in qua medius terminus subijcitur, quam oportet esse Vniuersalem, vel Affirmatiuam, vel negatiuam.

Necesse est extremorum terminorum esse syllogismum perfectum.

Comprehensio, & conclusio educta ex hoc uinculo duarum propositionum fit ex terminis extremis, idest primo & ultimo. & syllogismus est perfectus. syllogismi enim primæ figuræ nullo egent adminiculo, ut appareat necessitas nexus syllogistici.

B est



Quis oculis ipsis non dilucide cernit oportere etiam C esse in toto A?

Nulla doctrina potest apertius demonstrari. atque hoc est Analytice docere, & demonstrare, sicut antea dictum est.

Prius enim dictum est.

Prædicari de omni est principium, & caussa quamobrem ex propositionibus duabus hoc ordine, & modo connexis sequatur necessitas huius nexus syllogistici.

Syllogismi vniuersales primæ figuræ.

Omne B est A
Omne C est B
ergo Omne C est A
Nullum B est A
Omne C est B
ergo Nullum C est A

Hi sunt duo syllogismi omnium principes, quibus vtuntur scientiæ ad Doctrinam demonstrandam, quam tradunt.

Si vero primum de omni medio.

Sunt item duæ connexiones, quæ nullius sunt caussa necessitatis, & propterea nullus ex his gignitur syllogismus.

O *Omne*

Omne B est A
Nullum C est B
Nullum B est A
Nullum C est B

Nec plures connexiones inutiles esse possunt his, sicut nec vtiles plures superioribus duabus in vniuersalibus ita doctrina hac certissima est: per quam cognoscimus tum quod vsum præbet, tum id quod nulli vsui est, nec præter hæc aliud tradi potest.

Patet quando erit & quando non erit syllogismus.

Erit quando secunda propositio fuerit Affirmatiua, *non erit quando fuerit negatiua.*

Et si sit syllogismus.

Intima & propria rei caussa conuertitur cum ipsa re. talis ordo & nexus est caussa, huius effectus caussę est syllogismus. si sit syllogismus oportet ordinem, & nexum talem esse, si is ordo sit & nexus necesse est syllogismum esse. quę scientia potest esse magis demonstratiua?

Si uero terminorum alter uniuerse alter adiungatur particulariter ad alium, quando uniuersalis prædicatio fuerit ubi maius extremum uel affirmando, uel negando, particularis autem prædicatio cum minore extremo affirmatiuo, necesse est syllogismum esse perfectum. quādo uero uniuersalis prædicatio fuerit cum minore extremo, uel alium aliquo modo ordinem termini teneant nullo modo erit syllogismus. maius extremum dico cui medius terminus subijcitur, minus autem extremū, quod subijcitur medio termino. prędicetur enim A

de

de omni B & B de aliquo C, si prædicari de omni eam uim habet quam diximus antea in constitutis principiis, Necesse est A de aliquo C prædicari. item si A de nullo B prædicatur, & B de aliquo C prædicatur pariter necessario sequitur, ut A de aliquo C non prædicetur. definitum est enim quid esse uelimus de nullo prædicari. erit igitur syllogismus perfectus. similiter fit si C affirmatiuum indeterminate enuntietur, & pro aliquod C est B dicatur C est B. idem enim syllogismus est ex indeterminata, & particulari.

SCHOLIVM.

Persequitur reliquam doctrinam nexus syllogistici in hac figura, ubi altera propositio sumatur vniuersalis altera particularis. sunt igitur hic quoque duæ connexiones vtiles, cum videlicet quod vniuerse enuntiatur primum locum obtinet, & secunda particularis propositio est affirmatiua.

Vbi maius extremum.

Quem ante appellauit primum terminum ab ordine, nunc uocat extremum maius a vi quam obtinet maiorem reliquis. ut hinc discamus, nisi cum hoc termino fuerit vniuersalis enuntiatio, siue affirmatiua, siue negatiua, omnes connexiones futuras inutiles. a maiore enim pendet uis omnis illius principij dici de omni, & dici de nullo, vbi altera propositio sumpta est particularis, quam ob eandem causam oportet esse affirmatiuam. declarat, ut solet, nomina hęc noua maius extremum, & minus extremum.

Syllogiſmi particulares primæ figuræ.

Ome B eſt A
Aliquod C eſt B
ergo Aliquod C eſt A
Nullum B eſt A
Aliquod C eſt B
ergo Aliquod C non eſt A

Cæteræ omnes connexiones,ut uidebimus,erunt inutiles. ne uero quis expectet ſyllogiſmos ex altera indeterminata, declarat eandem vim eſſe particularis, & indeterminatæ.

Si vero ad minus extremum applicetur prædicatio uniuerſalis, uel affirmatiua, uel negatiua, non erit ſyllogiſmus , quocunque modo enuntietur particularis , vel indeterminata ſiue affirmatiue, ſiue negatiue.ut ſi dicatur Aliquod B eſt , vel non eſt A & Omne C eſt B. termini ex quibus ſequitur omni ineſſe Bona , res, Habitus, Prudētia,ex quibus ſequitur Nulli ineſse,Bona res, Habitus,Ignorantia. rurſus ſi Nullum C eſt B & Aliquod B non eſt A vel Non omne B eſt A.nec ſic erit ſyllogiſmus.termini ex quibus ſequitur omni ineſse Album Equus,Cygnus:ex quibus ſequitur nulli ineſse Album , equus , coruus . qui termini ſeruient etiam ſi maior ſumpta ſit indeterminata .

Neque quando ad maius extremum applicetur prædicatio uniuerſalis , uel affirmatiua, vel negatiua , & cum minore extremo fuerit

præ-

prędicatiò particularis negatiua neque ſic erit ſyllogiſmus ſiue particularis enuntietur indeterminate. ut ſi dicatur Omne B eſt A & Aliquod C non eſt B ſiue Non omne C eſt B, ſic enim ſequitur cui alicui medium non ineſt eidem omni, & nulli primum terminũ ineſse. ſupponantur enim hi termini Animal, homo; Res alba: deinde ſumantur de quibus albis homo non prędicatur, Cygnus & Nix ſequetur, ut Animal de altero dicatur omni de altero nullo prędicetur, itaque non erit ex tali connexione ſyllogiſmis. item ſi nullum B ſit A Aliquod C non ſit B. & termini ſint inanime, Homo, Album: deinde ſumantur de quibus albis homo non prædicatur Cygnus, & Nix : inanime enim de altero omni dicitur de altero nullo prædicatur.

SCHOLIVM.

Quatuor connexiones inutiles oſtẽdit, nec plures his eſſe poßunt quando altera propoſitio eſt vniuerſalis altera particularis. ac primo ſi minor propoſitio enuntietur vniuerſaliter.

Aliquod B eſt vel non eſt A
Omne C eſt B
Aliquod B eſt vel non eſt A
Nullum C eſt B

Altera duæ ſi maior enuntietur vniuerſaliter, minor ſit negatiua.

Omne B est A
Aliquod C non est B
Nullum B est A
Aliquod C non est B

Vidimus antea nihil interesse si particularis enuntietur indeterminate.

Supponantur enim — *A* (*Animal*), *B* (*Homo*), *C* (*Album*)

Ex his facies hanc connexionem.

Omnis homo est Animal
Aliquod Album non est homo

Ex qua connexione si pro albo exponas Cygnum, & Niuem dicendo Cygnus, non est Homo &
Nix non est homo.

Sequetur conclusio de omni & Nullo.

Simili modo, & exemplo idem ostenditur si Maior sit vniuersalis coniuncta cum minore particulari negatiua, & infra discemus ex duabus negatiuis nunquam fieri syllogismum.

Insuper quoniã particularis negatiua uim habet indeterminatam, & ueritatem tum particularem tum uniuersalem complecti potest, ut quod dicitur alicui non inesse, uel non omni inesse, sit etiam uerum si dicatur nulli inesse, captis eiusmodi terminis, ut nulli inesse uerum sit non erit syllogismus. id enim supra dictum est. ergo perspicuum est ex hac connexione terminorum non fore syllogismum. si enim in illis, esset etiam in his. eiusmodi demonstratio potest adhiberi in cõnexione quo-

que

que quæ incipit ab uniuersali negatiua Neque si utraque interualla enuncientur particulariter, vel affirmatiue, vel negatiue, aut alterum affirmatiue alterum negatiue, aut alterum determinate alterum indeterminate, vel vtraque indeterminata nullo prorsus modo ex eiusmodi connexionibus, sine uniuersali erit syllogismus. Termini communes omnium Animal Album. Equus. Animal. Album Lapis. Perspicuum igitur est, si debeat esse in hac figura particularis syllogismus oportere terminos hoc ordine, & modo connecti sicut diximus, & si termini sint hoc ordine. & modo connexi oportere syllogismum esse. si aliter se habeant termini nullum existere syllogismum & omnes syllogismos in hac figura perfectos esse: omnes enim ex solis primo sumptis propositionibus perficiuntur, & problemata omnia in hac figura demonstrari: quippe cum in hac demonstretur, & omni inesse, & nulli inesse. & alicui inesse, & alicui non inesse. & uoco eiusmodi figuram primam.

SCHOLIVM.

Insuper quoniam.

Vocatur hæc ratio Demonstratio ab indeterminata vi propositionis particularis: qua vtitur etiam infra. & hanc demonstrationem hic subijcit quasi admonitus exemplis superioribus Cygnus non est homo, quæ vera est etiam si dicatur Nullus *Cygnus est homo. sic sunt*

reliqua exempla proximarum demonstrationum. sic ergo erit notum, quod docetur etiam ex antea demonstratis.

Neque si vtraque interualla.

Vocat ipsas propositiones, seu protensiones interualla. est enim protensio quasi interuallum interiacens inter subiectum, & prædicatum. ex hac autem doctrina discimus sine propositione vniuersali non posse confici syllogismum.

Perspicuum igitur.

Sic supra, cum res, & caussa vicissim conuertuntur ea doctrina est maxime demonstratiua. oportet talem caussam esse propriam talis effectus.

Antea definiuit, quos vocaret syllogismos perfectos, tales sunt in hac figura. non sic erit in duabus sequentibus.

Et problemata omnia.

Quæstiones omnes solent efferri quatuor his modis, quorum singulorum syllogismi conformantur, vt vidimus, in hac figura.

Voco eiusmodi figuram primam.

Et nomina doctrinæ ferè omnia, & ipsa vniuersa doctrina est Aristotelis inuentum.

Vniuers. Aff.

Maius extremũ A ——B—— C Minus extremũ

{ Medius terminus }

Extremorum comprehensio.

SECVNDA FIGVRA, ET ORDO terminorum secundus, a primo naturali discedens.

SEd cum idem de altero omni de altero nullo prædicatur, aut de utroque omni aut de utroque nullo, figuram eiusmodi uoco secundam. Medium in ea dico, quod de utrisque prædicatur, extrema de quibus ipsum prædicatur: maius extremum, quod loco propinquum est medio, minus extremum, quod remotius est. collocatur autem medium foris, & extra, non intra extrema, & locum primum tenet. perfectus porro syllogismus in hac figura nequaquam erit, sed qui possit fieri perfectus, siue uniuerse extrema, siue non enuncientur uniuerse. ac si termini accipiantur uniuerse syllogismus erit, ad utrumlibet siue ad maius siue ad minus extremum adiungatur negatiua, alio modo nequaquam.

SCHOLIVM.

Discedit hic ordo ab ordine naturali, quoniam medius terminus (est autem medius, vt vidimus, qui bis dicitur) non tenet locum medium, vt in superiori figura, sed primum, itaque dicitur esse foris, & extra extrema.


Cum idem de altero omni.

Erunt hæ duæ connexiones facientes syllogismum.

Aut de vtroque.

Hæ vero duæ connexiones erunt inutiles, vt videbimus hoc

hoc autem modo voluit indicare amplitudinem quam medius terminus obtinet in hac figura. est enim primus cum solum prędicetur nulli subijciatur propinquus ipsi est maius extremum minus extremum remotius. itaque hoc modo conformanda figura est, vt id quod docetur intelligatur.



Vt vero duæ propositiones a medio ad extrema subijciantur oculis cum extremorum comprę hensione, sic fiet figura.



Compræhensio extremorum negatiua semper

Prædicetur enim L de nullo M, & de omni N, quoniam igitur negatiua conuertitur, fit vt nullum L sit M: at modo positum est omne N esse L, ergo Nullum N est M. hoc enim prius est demonstratum. item si Omne M est L & Nullum N est L, sequitur vt nullum N sit M. Nam si Nullum N est L etiam nullum L erit N. positum est autem Omne M esse L ergo

go Nullum M eſt N. ac ſic rurſus effecta eſt prima figura. hac vero conuerſa ſequitur, ut Nullum N ſit M. itaque erit idem ſyllogiſmus. licet autem hæc demonſtrare etiam abducendo ad id, quod eſſe non poteſt. hoc igitur ordine, & modo collocatis terminis ſyllogiſmum fieri perſpicuum eſt, ſed non fit perfectus. non enim ſolum ex aſſumptis primis propoſitionibus, ſed etiam ex aliis perficitur nexus ſyllogiſtici neceſſitas.

S C H O L I V M.

Prædicetur enim.

Ordine terminorum expoſito, & tradita doctrina connectendarum propoſitionum, vt ſi vna ſit negatiua altera ſit affirmatiua ſubijcit oculis primum ſyllogiſmum vniuerſalem, qui incipit a Negatiua, & iure primum obtinet locum, quòd vno tantum egeat adminiculo conuerſione ſcilicet negatiuæ, vt fiat perfectus.

Imperfectus		Perfectus
Nullum M eſt L	*Conuertitur*	*Nullum L eſt M*
Omne N eſt L		*Omne N eſt L*
ergo Nullum N eſt M		

concluſio demonſtrata in prima figura adminiculo illius conuerſionis Nullum L eſt M per quam, L, medius terminus in locum medium reſtituitur, ſicut poſtulat prima figura, quæ habet ſyllogiſmos perfectos.

Item ſi Omne M eſt L.

Alter ſyllogiſmus vniuerſalis huius figuræ ſecundæ, qui incipit ab Affirmatiua, & pluribus eget adminiculis cum in eo conuerti oporteat etiam concluſionem ſyllogiſmi traducti ad primam figuram.

Imper-

Imperfectus Perfectus

Omne M est L———titur Nullum L est N
Nullum N est L conuer———Omne M est L
ergo Nullum M est N
ergo Nullũ N est M < *quæ conuertitur*
Nullum N est M

Ita hæc conclusio Nullum N *est M adminiculo duarum conuersionum demonstratur in hoc syllogismo, qui habet primam affirmatiuam. nec prçter has duas in syllogismis vniuersalibus possunt fieri aliç connexiones ex quibus sequatur syllogismus.*

Licet autem hæc demonstrare etiam abducendo.

Sic supra tradens doctrinam conuersionum vsus est hoc demonstrandi modo, quo, dato falso sequitur aliquod absurdum. erat autem res nota discipulis exercitatis in disciplinis mathematicis.

Sumatur proximus syllogismus.

Datus syllogismus.

Omne M est L *Omne M est L*
Nullum N *est L——das dabis Aliquod* N *est M*
ergo Nullũ N *est* M *si hãc nõ——ergo Aliqd, N, est, L,*

Impossibile: essent enim vera duç contradictoria. hoc impossibile sequitur ex data falsa. nam altera vniuersalis est vera ex dato syllogismo. ita remanet, vt conclusio illa dati syllogismi sit vera Nullum N *est M, & hæc demonstrandi ratio appellatur obliqua.*

Hoc igitur ordine,& modo.

Demonstratum est hoc quoque modo, cum medius terminus tenet primum locum, & habet sibi subiecta duo extrema fieri syllogismum, licet imperfectum, qui per doctrinam, quam antea docuit commutandi loca prædicati & subiecti per conuersionem propositionum perficiuntur hac ratione traducti ad primam figuram, in qua nexus syllogisticus est apertus, per illa principia

dici

dici de omni, & dici de nullo. fiunt igitur sic duo syllogismi Vniuersales, nec plures fieri possunt, nec aliter.

Quòd si L de omni M, & de omni N prædicetur, non erit syllogismus: termini ex quibus sequitur Omni inesse substantia, animal, Homo: ex quibus sequitur nulli inesse substantia Animal Numerus. medium in vtrisq; substantia. Neque quando L de nullo M, & de nullo N prædicabitur. Termini ex quibus sequitur Omni inesse, Linea, Animal, Homo: ex quibus nulli inesse, Linea, Animal, Numerus. Perspicuum igitur est si syllogismus sit ex terminis vniuerse accepti, soportere terminos ordine, & modo quo diximus, esse connexos: aliter enim nulla sequitur certa, & necessaria conclusio.

SCHOLIVM.

Sunt item duę connexiones inutiles cum vtraq. propositio est Vniuersalis, nec plures esse possunt, quas & initio indicauit cum vtraque affirmatiua, aut vtraque negatiua. in hac enim figura oportet duas propositiones esse dissimiles, & alteram alteri opponi.

Connexiones duæ inutiles.

Omne M est L
Omne N *est* L
N*ullum M est* L
N*ullum* N *est* L

Numeri apud Pythagoreos erant rerum principia, & substantia.

Si vero

Si vero Medium ad alterum tantum extremorum adiungatur vniuerse, quando fuerit cum maiori extremo affirmatiue seu negatiue, & minor propositio fuerit particularis ex aduerso, & contradictorie pugnans, vt si vniuersalis fuerit negatiua, particularis sit affirmatiua, si illa fuerit affirmatiua, particularis sit negatiua, necesse est fieri syllogismum negatiuum particulariter. Nam si Nullum M est L & aliquod N est L Necessario sequitur, vt aliquod N nō sit M. cum enim conuertatur Negatiua Nullum L erit M & cum positum sit Aliquod N esse L sequitur Aliquod N non esse M. fit enim syllogismus per primam figuram Item si Omne M est L & Aliquod N non est L necesse est, vt aliquod N nō sit M. quod si non concedas, dabis omne N esse M. at iam dictum est Omne M esse L ergo omne N erit L quod contradicit ei quod positum est Aliquod N non est L. Quod si loco illius, quæ dicit Aliquod N non est L, dicatur Non omne N est L, erit idem syllogismus, & eadē demonstratio. Si vero L de M non omni prædicetur, & de N omni non erit syllogismus. Termini ex quibus sequitur omni inesse Animal substantia Coruus: ex quibus nulli inesse, Animal Album Coruus. Nec quando L de nullo N & de aliquo M prædicabitur termini ex quibus sequitur omni inesse Animal substantia

tia Vnitas: ex quibus nulli inesse Animal Substantia Scientia. Quando igitur ex aduerso pugnat Vniuersalis cum particulari dictum est, quando erit & quando non erit syllogismus.

SCHOLIVM.

Sequuntur duo syllogismi particulares ex altera propositione Vniuersali altera particulari, in quibus oportet maiorem propositionem esse Vniuersalem, vel negatiuam, vel affirmatiuam alteram ipsi opponi contradictorie. Primus incipit a negatiua, quæ conuersa reducitur ad primam figuram, & fit perfectus.


Imperfectus		Perfectus
Nullum M est L	*conuertitur*	*Nullum L est M*
Aliquod N est L		*Aliquod N est L*
ergo Aliquod N non est M		*Aliquod N est M*

Alter qui incipit ab vniuersali Affirmatiua non sic potest perfici, sed demonstratur necessitas conclusionis per deductionem ad Impossibile, de qua re dictum est antea.

Omne M est L — *Omne M est L*

vel Nō oē Aliquod N non est L — *Omne N est M*

ergo Aliquod N non est M



ergo Omne N est L
Impossibile

Si ordinem commutes, & incipias a particulari fiunt duæ connexiones inutiles, nec plures his duabus in hac dissimilitudine propositionum, quarum altera sit uniuersalis, fieri possunt.

Aliquod M Non est L
Omne N est L

Aliquod

Aliquod M eſt L
Nullum N eſt L

Si vero ab hac connexione hæc abſit diſſimilitudo, fuerintq; ambæ propoſitiones Negatiuæ, vel affirmatiuæ nullo modo erit ſyllogiſmus. ſint enim primo negatiuæ, & maior propoſitio ſit Vniuerſalis, atque L prędicetur de nullo M & non omni N inſit, poteſt ſequi ex hoc nexu vt M & omni, & nulli N inſit: termini ex quibus ſequitur nulli ineſſe Nigrum Nix Animal: vt vero ſequatur omni ineſſe, non licet capere terminos, ſi æque verum ſit alicui ineſſe, atque alicui non ineſſe: fac enim ſequi Omne N eſt M cum illa iam poſita ſit Nullũ M eſt L, ergo Nullum N erit L, quæ contradicit illi, quæ data eſt cum particulari negatiua Aliquod N eſt L. ſic igitur non licet capere terminos. ſed facienda eſt demonſtratio ex vi nõ contracta ad particularem, ſed cum particularis negatiua idem etiam valet, quod Vniuerſalis negatiua. ſic erunt duæ Negatiuæ Vniuerſales ex quibus non fiebat ſyllogiſmus. ergo neque nunc fiet. Sint item ambæ affirmatiuæ & Maior Vniuerſalis. Omne M eſt L Aliquod N eſt L ſequitur, & omni, & nulli ineſſe, termini ex quibus ſequitur nulli ineſſe Album Cygnus lapis, ex quibus ſequatur omni ineſſe, non licet capere terminos. ob iam dictam cauſſam, ſed facienda demonſtratio ex vi non contracta ad

par-

particularem. si vero propositio fiat Vniuersalis, & L de aliquo M non prędicetur, & de nullo N prædicetur, inerit M & omni & Nulli N. termini ex quibus omni inerit Albũ, Animal, Coruus: ex quibus nulli Album, lapis, Coruus. si vero sint ambæ Affirmatiuæ, ex quibus nulli inerit Album Animal Nix: ex quibus omni Album Animal Cygnus. perspicuum igitur ex similibus propositionibus cum altera fuerit vniuersalis nullum fieri syllogismum.

SCHOLIVM.

Persequitur reliquas connexiones inutiles ex altera Vniuersali. aut enim ambæ propositiones erunt negatiuæ, aut erunt Affirmatiuæ, & connexio fiet vel incipiendo ab vniuersali, vel incipiẽdo a particulari. quatuor igitur erunt, nec plures esse possunt.

1 *Nullum M est L*
Non omne N est L

2 *Omne M est L*
Aliquod N est L

3 *Aliquod M non est L*
Nullum N est L

4 *Aliquod M est L*
Omne N est L

Non licet capere terminos.

De hoc modo demonstrandi dictum est antea. nam propositio particularis ex vi captorum terminorum potest esse vera etiam vniuersaliter, vt si dicas aliquis Cygnus est animal, & aliquis Cygnus non est homo. non

ita est si dicas aliquis homo est pulcher, cum qua simul vera est etiam eius negatio, aliquis homo non est pulcher, si ergo sic ponas.

	Nullum M est L	*Nullum M est L*
simul	*Aliquod N non est L*	
vera	*Aliquod N est L*	*Omne N est M*
	fac sequi	
	Omne N est M	ergo *Nullum N est L*
		quod contradicit particulari affirmatiuę.

Verum neque sic erit syllogismus si vtraque propositio fuerit particularis, seu affirmatiue, seu negatiue, siue hoc modo vna, illo modo altera, siue indefinite. Termini communes omnium Album Animal Homo: Album Animal Inanimatum. Est igitur perspicuum ex his, quæ dicta sunt: si hoc ordine & nexu, sicut dictum est termini constringantur fore syllogismum, ac si syllogismus sit, oportere terminos hoc ordine, & nexu constrictos esse: & omnes in hac figura syllogismos esse imperfectos: omnes enim perficiuntur, vel assumptis aliquibus, quæ vel inexistunt necessario in ipsis terminis, vel ponuntur, vt hypotheses, veluti quando fit demonstratio per impossibile: nec fieri syllogismum affirmatiuum in hac figura, sed omnes esse negatiuos, & Vniuersales, & particulares.

SCHO-

SCHOLIVM.

Connexiones ex duabus particularibus quocunque modo ponuntur, sunt inutiles in omni figura. non fit enim syllogismus, sine Vniuersali.

Si hoc ordine.

Conuertitur res effecta cum sua caussa, vt supra.

Quæ vel inexistunt.

Qui enim dicit Nullum M est L necessario dicit etiam Nullum L est M vt antea demonstratum est. & his conuersionibus syllogismi imperfecti fiunt perfecti.

Vel ponuntur, vt hypotheses.

Syllogismi per impossibile fiunt ex data hypothesi falsa, & ipsi vocantur hypothetici, vt docet in his libris.

Secunda figura non solum habet syllogismos imperfectos, sed est inferior prima etiam quoniam satisfacit tantum quæstionibus negatiuis. breuia vero præcepta regunt ordinem vtriusque figuræ. in prima Nexus syllogisticus requirit, ut Maior sit Vniuersalis Minor sit Affirmatiua*: in secunda, vt Maior sit Vniuersalis, & minor opponatur maiori, vel contrarie, vel contradictorie.*

FIGVRA TERTIA, ET ORDO tertius a primo Naturali longissime discedens.

QVando vero eidem alterum omni alterum nulli insit, aut ambo eidem omni vel nulli, figuram eiusmodi voco tertiam. Medium in ea dico, de quo ambo extrema prędicamus: Extrema, quę de Medio prædicantur. Maius extremũ, quod Longius abest à medio, Minus extremũ, quod medio propinquius est. collocatur autem medium foris, & extra extrema, & locum vltimum tenet. Nec in hac figura syllogismus perfectus fit, sed qui fieri possit perfectus, siue uniuerse prędicentur extrema de medio, siue non uniuerse.


SCHOLIVM.

Infima figura in qua medium subijcitur vtrique extremo, ordine contrario superiori figuræ.

Remotius *Propinquius* *Medium vltimo loco.*

P R S

Maius extremum *Minus extremum*



S

Medium subiectum vtrique extremo.

Si

Si vniuersè capiantur termini, cum P & R prædicantur de omni. S. Syllogismus erit Aliquod R esse P necessario. quoniam enim conuertitur minor Aliquod R erit S. at sumptum est omne S esse P. ex qua & altera Aliquod R est S sequitur necessario Aliquod R esse P. per syllogismum primæ figuræ. potest id demonstrari etiam per impossibile, & per expositionem terminorum. si enim vtrumque extremũ inest Omni S, capto aliquo eorum, quæ subijciuntur Medio S, veluti si capiatur, N, de illo prædicabitur, & P. & R. quare aliquod R erit P. Item si Omne S, & R, & Nullum S est P. erit syllogismus Necessario Aliquod R non esse P. quod demonstratur eodem modo per conuersionem Propositionis Affirmatiuæ, poterit demonstrari, & per impossibile, ut supra. Quod si dicatur Nullum S esse R, & Omne S esse P, non erit syllogismus. termini ex quibus sequitur Omni inesse Animal Equus Homo, ex quibus sequitur Nulli inesse Animal Inanimatum Homo. Nec quando vtraq; propositio est negatiua, esse potest syllogismus. termini ex quibus sequitur Omni inesse Animal Equus Inanimatum, ex quibus Nulli Homo Equus Inanimatum. Perspicuum igitur est etiam in hac figura quãdo erit, & quando non erit syllogismus. si enim propositiones fuerint vniuersales, quando utraque affirmatiua erit

syllogismus conclusionis particularis affirmatiuæ, quando vtraque negatiua non erit syllogismus: quando altera negatiua altera affirmatiua, si maior erit Negatiua minor affirmatiua, erit syllogismus conclusionis particularis negatiuæ, si contrario modo non erit.

SCHOLIVM.

In hac figura nihil vniuersale colligitur. si ambę propositiones sint Vniuersales Affirmatiuæ colligitur conclusio particularis Affirmatiua, si Maior sit Vniuersalis negatiua minor Vniuersalis affirmatiua colligitur particularis negatiua. quod fit manifestum per conuersiones.

Imperfectus		Perfectus
Omne S est P		*Omne S est P*
Omne S est R	*conuertitur*	*Aliquod R est S*
ergo Aliquod R est P		*Aliquod R est P*
Nullum S est P		*Nullum S est P*
Omne S est R	*conuertitur*	*Aliquod R est S*
ergo Aliquod R non est P		*Aliquod R non est P*

Per impossibile.

	impos-	
Omne S est P		*Nullum R est P*
Omne S est R		*Omne S est R*
ergo Aliquod R est P	sibile	*Nullum S est P*

Per expositionem.

Omne S est P	*Omne N est P*
Omne S est R	*Omne N est R*
ergo Aliquod R est P	*ergo Aliquod R est P*

Duæ

Duæ connexiones inutiles.

Omne S est P
Nullum S est R

Nullum S est P
Nullum S est R

Si vero altera propositio sit Vniuersalis altera particularis, si ambæ affirmatiuæ, ab vtrauis fuerit initium, necesse est fieri syllogismum. si enim omne S sit R, & Aliquod, S, sit, P, necesse est Aliquod, R, esse, P, nam conuersa maiore particulari fiet syllogismus Omne S est R, & aliquod P est S ergo Aliquod P est R, & aliquod R est P. item si Aliquod S est R, & Omne S est P necesse Aliquod R esse P, quod demonstratur eodem modo per conuersionem. licet idem demonstrare per impossibile, & per expositionem, vt supra. Si vero altera sit affirmatiua altera negatiua, & affirmatiua sit vniuersalis, cum minor fuerit affirmatiua, erit syllogismus. si enim omne S est R, & aliquod, S, non est, P, Aliquod R non erit, P. necessario. aliter dabis Omne r est p, & cum positum sit omne, S, esse R, sequetur Omne S esse P quod est impossibile, quia positum est Aliquod S non esse P. & absque hac abductione ad impossibile potest demonstrari per expositionem capiendo pro, S, aliquid eorum,

quæ ipsi, S, subijciuntur, cui P non insit. Quando autem maior fuerit affirmatiua, & minor particularis negatiua nõ erit syllogismus. Omne S est P Aliquod S non est R: termini ex quibus sequitur omni inesse, Animatum Homo Animal. non licet capere terminos ex quibus sequatur nulli inesse, si uim suam retineat particularis negatiua, vt tam sit uera aliquod S non est R, quam Aliquod S est R. Sed sicut supra capere terminos oportet, per quos propositio particularis etiam uniuerse enuntiata sit uera. si uero quod alicui dicitur non inesse etiã nulli insit ex tali connexione maioris uniuersalis affirmatiuę, & minoris uniuersalis negatiuæ supra ostensum est non esse syllogismum.

SCHOLIVM.

Duo syllogismi cum altera propositio, est vniuersalis affirmatiua altera particularis affirmatiua.

Imperfectus		Perfectus
Aliquod S est P	*Conuertitur*	*Omne S est R*
Omne S est R		*Aliquod P est S*
ergo Aliquod R est P		*ergo Aliquod P est R*
		quæ conuertitur
		Aliquod R est P
Omne S est P		*Omne S est P*
Aliquod S est R	*Conuertitur*	*Aliquod R est S*
ergo Aliquod R est P		*Aliquod R est P*

Demonstrari possunt, vt supra per Impossibile, & per expositionem.

Syllo-

Syllogiſmus ex alterà negatiua.

Aliquod S non eſt P		Omne R eſt P
Omne S eſt R	hâc dabis	Omne S eſt R
ergo Aliquod R non eſt P	Si nõ das	Omne S eſt P impoſſibile ex data falſa.

Poſt hunc tertium ſyllogiſmum antequam demonſtret etiam quartum ex altera negatiua interponit connexionem inutilem ordine contrario huic tertio.

Omne S eſt P
Aliquod S non eſt R

Sed ſicut ſupra.

Hic prætermiſit duas demonſtrationes ex quibus oſtenditur, an non poſſint capi termini, ex quibus ſequatur nulli ineſſe ſi negatiua particularis vim ſuam retineat, vt cum ea ſit vera etiam affirmatiua particularis. ſuſpicor enim eas fuiße deſcriptas in margine deſcripti codicis pro gemina interpretatione, quam meam ſuſpicionem confirmat, quod inepte ſine vllo vinculo altera ſubijcitur alteri Ioannes Grammaticus: videtur eam agnoſcere, quæ ſecundo loco poſita eſt, quę ſic ſe habet.

Connexio inutilis.

	Omne S eſt P		*Omne S eſt P*
ſimul vera	*Aliquod S non eſt R*		
	Aliquod S eſt R		*Aliquod S eſt R*
data cõcl.	*Nullum R eſt P*	*ergo*	*Aliquod R eſt P quæ deſtruitur concluſio data.*

Altera tamen videtur magis ſimilis illi, quæ expoſita eſt in ſecunda figura, & illi quam paullo infra ponit Ariſtoteles.

Con-

Connexio inutilis.

	Omne S est P	*Nullũ R est P*
simul vera	*Aliquod S non est R*	*Aliqd S est R*
	Aliquod S est R	
data cõcl.	*Nullum R est P*	*Aliq. S nõ est P*
		impossibile.

Si vero Negatiua propositio sit vniuersalis, & affirmatiua sit particularis, cum maior est Vniuersalis, & minor est Affirmatiua erit syllogismus. si enim Nullum S est P, & Aliquod S est R, aliquod R non erit P. erit enim prima figura conuersa minore affirmatiua. sed quando minor erit Negatiua non erit syllogismus. termini ex quibus sequitur omni inesse Animal, Homo, Agreste, ex quibus sequitur nulli inesse Animal scientia Agreste, Medium in vtroque Agreste. nec quando ambæ propositiones sunt negatiuæ. atque altera vniuersalis altera particularis, termini ex quibus sequitur omni inesse cum minor est uniuersalis, Animal Homo Agreste; ex quibus nulli inesse Animal scientia Agreste: cum vero maior est vniuersalis, & minor particularis, termini ex quibus sequitur nulli inesse Coruus Nix Album: ex quibus autem omni inesse, non licet capere terminos: si æque vera sit Aliquod S est R, & Aliquod, S, non est R. Nam si Omne R est P, & Aliquod S est R sequitur Aliquod S esse P at Positum est Nullum S esse P. sed facienda

est

est demonstratio ex vniuersali negatiua, quæ æque vera sit, vt particularis negatiua, sicut supra dictum est. Verum neque sic vllo modo erit syllogismus si utraque propositio sit particularis, siue affirmatiuæ, siue negatiuę, siue hoc modo vna, illo modo altera, siue indeterminate: termini communes omnium animal, Homo, Album, Animal inanimatum Album. Est igitur perspicuum in hac quoque figura, quando erit, & quando non erit syllogismus: ac si hoc ordine, & nexu sicut dictum est termini sint constricti fore necessario syllogismū, si syllogismus sit, oportere terminos hoc ordine & nexu constrictos esse. perspicuum etiam est in hac figura syllogismos omnes esse imperfectos, cum omnes perficiantur quibusdam assumptis adminiculis, & nihil vniuersale concludi per hanc figuram, neque affirmando, neque negando.

SCHOLIVM.

Hic est reliquus quartus syllogismus ex maiori vniuersali negatiua, & minori particulari affirmatiua, nec esse poßunt plures.

Perficitur per primam figuram.

Nullum S est P		*Nullum S est P*
Aliquod S est R	*conuertitur*	*Aliquod R est S*
ergo Aliquod *R est P*		Aliquod *R est P*

Se-

Sequuntur reliquę tres. Connexiones inutiles, nec esse possunt plures.

Aliquod *S est P*
Nullum *S est R*

Aliquod; *S, non est P*
Nullum, S, est R

Nullum, *S, est P*
Aliquod, *S, non est R*

	Nullum *S est P*	*Omne R est P*	
simul	**Aliquod** *S non est R*	*--Aliqd S est R*	
veræ	**Aliquod** *S est R--*		
data cōcl.	*Omne R est P*	*erg.* **Aliq.** *S est P*	*impossibile.*

Est igitur perspicuum in hac quoque figura.

Sicut in superioribus figuris ostendit in hac quoque esse necessitatem nexus syllogistici. sed in prima est euidens, in secunda & tertia est obscurior, quę obscuritas detegitur per adminicula, quæ dicta sunt. doctrina, & scientia est maxime necessaria, cum in singulis figuris eandem repetat conuersionem effectus cum sua caussa. postulat hic nexus, & ordo tertius, vt minor propositio sit affirmatiua. in nulla figura potest fieri syllogismus, sine vniuersali. hęc est infima omnium figura in qua nihil vniuersale concluditur.

Perspicuum est id quoque in omnibus figuris, quando non fiat syllogismus, si ambæ quidem propositiones sint affirmatiuæ, uel negatiuæ, uel particulares nullam prorsus ex tali

nexu

nexu fieri necessitatem syllogisticam: at uero ex affirmatiua, & negatiua si negatiua capta sit uniuersalis semper fit syllogismus minoris extremi, quod non prædicetur de maiori extremo: ueluti si dicatur Omne B, uel aliquod B est A, & nullum C est B. conuersis enim propositionibus necesse est aliquod A non esse C. & in alijs similiter figuris. semper enim per conuersionem is fit syllogismus. est etiam perspicuum si pro particulari affirmatiua ponatur indeterminata eundem fore syllogismum in omnibus figuris.

SCHOLIVM.

Perspicuum est id quoque.

Quid potest esse diligentius hac diligentia? non solum in singulis figuris ostendit ex quibus connexionibus non fieret syllogismus, sed nunc ex quibus inutilibus in singulis figuris aliquis vsus esse possit, docet. vocant syllogismos concludentes indirecte: quoniam in his colligitur conclusio particularis negatiua minoris de maiori extremo.

Si ambæ quidem.

Hoc potuit quisque animaduertere ex duabus affirmatiuis in secunda figura, ex duabus negatiuis in omnibus figuris, ex duabus particularibus in omnibus similiter figuris nihil posse colligi. non enim fieri potest syllogismus, sine uniuersali, nec sine affirmatiua.

At vero ex affirmatiua, & negatiua.

Duo tales syllogismi fiunt in prima figura, quos indicat.

Omne

Omne B est A — conuer-titur — Nullum B est C
Nullum C est B — conuer-titur — Aliquod A est B
ergo Aliquod A non est C — Aliquod A non est C

Aliquod B est A } eodem modo am- Nullum B est C
Nullum C est B } bæ conuertūtur. Aliquod A est B
ergo Aliquod A non est C — Aliquod A non est C.

Et in alijs similiter figuris.

Vnus in secunda, & duo syllogismi in tertia.

Semper enim per conuersionem.

Sicut in prima figura dixit numero plurali. conuersis enim propositionibus, quia conuertenda est vtraque propositio, sic nunc numero singulari per conuersionem dicere videtur quoniam per vnicam conuersionem demonstratur conclusio.

In secunda

Aliquod M est L — titur — Nullum L est N
Nullum N est L — conuer — Aliquod M est L
ergo Aliquod M non est N — Aliquod M non est N

In tertia figura.

Omne S est P — conuer — Nullum S est R
Nullum S est R — titur — Aliquod P est S
ergo Aliquod P non est R — Aliquod P non est R
Aliquod S est P — conuer — Nullum S est R
Nullum, S, est R — titur — Aliquod P est S
ergo Aliquod P non est R — Aliquod P non est R

Si pro particulari affirmatiua.

Hoc quidem, & antea monuit: hic autem recte facit mentionem tantum Affirmatiuæ particularis, cum dicat In omnibus figuris: nam particularis negatiuę in connexione syllogistica nullus est usus in prima figura.

Et hoc perspicuum est syllogismos omnes imperfectos perfici per primam figuram. aut

enim

enim demonstratiue, aut per impossibile perficiuntur omnes, atque utroque modo fit prima figura. quoniam qui perficiuntur demonstratiue, omnes per conuersionem perficiuntur: quæ conuersio primam efficit figuram. qui vero per impossibile demonstrantur posito falso demonstrantur per syllogismum in prima: veluti in ultima figura si omne C est A & omne C est B sequitur aliquod B esse A. nam si Nullum B sit A, cum positum sit omne C esse B sequitur Nullum C esse A. at positum est Omne C esse A. sic fit in alijs.

SCHOLIVM.

Omnis demonstratio fit vel recta via vel obliqua. recta via demonstrari dicitur, quod ex proprijs propositionibus concluditur, obliqua uia cum posito falso ex quo sequitur impossibile, demonstramus illud verum esse quod oppositū est illi falso. per uiā rectā syllogismus dicitur perfici demonstratiue, quoniā quasi digitū intēdēdo proprias rei, de qua quæritur, rationes inspiciendas obijcimus. obliq. demōstramus per syllogismū deducentē ad impossibile. adhibuit supra vtramq. viam ad perficiēdos syllogismos secundę, & tertiæ figurę. exēpli tamen caussa ostēdit quomodo per impossibile in tertia.

Omne C est A—impos-	*dabis—Nullū B est A*	
Omne C est B—	*—Omne C est B*	
ergo Aliquod B est A—aliter	*sibile—Nullū C est A*	

Ex his licet intelligere quantum dignitatis sit in prima figura, in qua cęterarum perfectio continetur.

Possunt aūt etiā traduci Omnes syllogismi ad vniuersales syllogismos, qui fiunt in prima figura.

figura. qui enim fiunt in ſecunda figura perſpicuum eſt eos perfici per ſyllogiſmos, qui fiunt in prima excepto, quòd non ſimiliter omnes, ſed uniuerſales quidem per conuerſionem negatiuæ, particularium autem uterque per abductionem ad impoſſibile. qui uero fiunt in prima particulares per ſe quidem ſunt ipſi perfecti: ſed poſſunt etiam demonſtrari per impoſſibile ſyllogiſmo confecto in ſecunda figura hoc modo.

Omne B eſt A p ĩpoſſibile in Oẽ B eſt A
Aliquod C eſt B———— Nullũ C eſt A
ergo Aliqđ C eſt A ſcđa figura- Nullũ C eſt B
impoſſibile.

Similis erit demonſtratio etiam in ſyllogiſmo negatiuo.

Nullum B eſt A — Nullum B eſt A
Aliquod C eſt B impoſ- Omne C eſt A
ergo Aliq. C non eſt A ſibile ergo Nullũ C B

Ita fiunt ſyllogiſmi per impoſſibile in ſecunda figura: qui quoniam per conuerſionem reducuntur ad uniuerſales primæ, hac ratione etiã ipſi particulares primæ reducentur ad Vniuerſales primæ. in tertia uero figura qui fiunt ex duabus vniuerſalibus ſtatim perficiuntur per illos ſyllogiſmos abducentes ad impoſſibile: qui uero conſtant ex altera particulari primo reducuntur ad particulares primę, quos oſtendimus

dimus qua ratione,& ipsi traducantur ad uniuersales primæ.itaque & particulares in tertia sic traducuntur ad uniuersales primæ.

SCHOLIVM.

Ex hac doctrina intelligimus syllogismos duos vniuersales primæ omnibus vi & dignitate antecellere, quippe quibus vis cæterorum contineatur. hi proprie pariunt scientiam, quæ est de vniuersalibus,& ex vniuersalibus.sed enim hec exercitatio,vt experiamur traducere reliquos omnes syllogismos ad vniuersales primę id etiam vtilitates habet, vt fiamus paratiores ad conficiendos syllogismos:paratur autem habitus omnis doctrinæ vsu ipsius,& tractatione.docet autem ipse in singulis eius exercitationis faciendæ rationem.

In secunda figura duo syllogismi Vniuersales traducuntur per conuersionem negatiuę ad vniuersales primę. duo particulares per impossibile.


Duo particulares primæ demonstrantur primo per impossibile in secunda figura: deinde syllogismi per impossibile per conuersionem traducuntur ad primam.

In tertia figura duo syllogismi ex duabus vniuersalibus statim per deductionem ad Impossibile traducuntur.Qui constant ex uniuersali,& particulari sunt quatuor syllogismi: in quibus, qui incipit a particulari negatiua,non potest traduci per conuersionem ad primam figuram. id nunc non monet. vult enim discipulum esse memorem doctrinę iam traditæ. is igitur syllogismus statim traducitur per abductionem ad impossibile. tres reliqui, vt docet primo per conuersionem reducuntur ad primam figuram,deinde sicut docuit faciendum esse in particularibus primæ figurę, sic faciendum est in his

tribus. est igitur in his maius negotium, & vtilis exercitatio. si tamen experiare, etiam ille affirmatiuus, qui incipit a particulari affirmatiua, statim traducitur per impossibile.


Summa Doctrinæ hactenus traditæ.

Post doctrinam de conuertendis propositionibus in triplici rerum genere cum professus esset se velle tradere doctrinam conficiendi omnis syllogismi antequam aggrederetur propriam Doctrinam de Demonstratione, quę est subiectum genus, quo dirigitur vniuersa hæc methodus quatuor librorum Analyticorum: ex tribus terminus, quorum vnum medium vocat, reliquos duos maius extremum, & minus extremum, triplicem rationem exposuit conficiendorum syllogismorum ex triplici collocatione medij termini. In prima collocatione terminus medius tenet medium locum Maius extremum primum locum Minus extremum locum vltimum tenet, hic ordo naturalis est apertam praeseferens nexus syllogistici necessitatem.



extremorum comprehensio.

In secunda collocatione Medius terminus tenet primum locum, cui vtrumque extremum subijcitur.



In

In tertia collocatione Medius terminus vltimum locum tenet qui subijcitur vtrique extremo.



Vocat hos tres ordines tres figuras nomine sumpto a disciplinis mathematicis, quæ figuræ conformantur lineis tribus, quarum duæ ducuntur a medio vel ad medium terminum, tertia linea claudens figuram est ab vno ad alterum extremum.

In prima figura oportet primam propositionem esse Vniuersalem secundam affirmatiuam. In ea sunt quatuor syllogismi Vniuersalis affirmatiuus Vniuersalis negatiuus Particularis affirmatiuus Particularis negatiuus.

In secunda figura oportet primam propositionem esse Vniuersalem, secundam dissimilem esse primæ, vt si illa sit affirmatiua hęc sit negatiua, & contra si illa negatiua hæc affirmatiua. In ea fiunt quatuor syllogismi duo Vniuersales negatiui, & duo particulares negatiui.

In tertia oportet secundam esse affirmatiuam: & in ea fiunt sex syllogismi particulares, ex duabus vniuersalibus vnus affirmatiuus alter negatiuus: ex altera vniuersali altera particulari duo affirmatiui, duo negatiui.

In secunda & tertia figura syllogismi fiunt imperfecti, qui perficiuntur, vel per conuersionem tradi Gi

ad primam figuram, quæ sola habet syllogismos perfectos, vel per syllogismum deducentem ad id quod esse non potest, qui syllogismus fit in prima figura ex posita propositione falsa, & altera vera dati syllogismi. Et vt perfecte teneamus doctrinam nexus syllogistici ostendit etiam nexus omnes non syllogisticos, & inutiles, & ex ipsis inutilibus demonstrauit ex quibus aliqua necessitas erui poßet: fuerunt autem quinque syllogismi concludentes, vt aiunt indirecte minorem, scilicet terminum non dici de maiori. atque hęc doctrina in illis propositionibus demonstrata est quas vocant, de inesse, Nam initio vt vidimus indicauit esse tria genera enuntiationum, Vnum hoc modo Omne B est A: alterum hoc modo Necesse est omne B esse A: tertium hoc modo Contingit vel possibile est Omne B esse A. per primum genus significantur prædicata, quę insunt subiecto non semper sed mutabiliter: per secundum, quę insunt semper & immutabiliter: per tertium, quę non insunt, sed poßunt ineße, & possunt etiam non inesse. Primi & tertij generis prædicata sunt proprie accipienda eius generis rerum quas contingentes, vt plurimum vocant ex quibus plurimæ facultates, & artes constant. de hoc contingente suo loco docebit Aristoteles, quæ pro vsu huius methodi ignorare non oportebit. His breuiter explicatis pauca ex his, quæ supersunt breuiter adnotabimus, quę satis esse possint pro simplici institutione Doctrinæ Analyticæ ad quam perfecte cognoscendam instructiores postea nouitij poßint accedere.

Summa Doctrinæ consequentis hæc propemodum est.

Persequitur doctrinam syllogismorũ in alteris duobus generibus enuntiationum, quæ pertinent ad, Neceße,

cesse, & ad potestatem incerti euẽtus, quod nomine contingentis consignatur. & sicut in doctrina conuersionum nullum erat discrimen inter propositiones de inesse, & de Necesse esse, sic nunc docet euenire in conformandis syllogismis, quæ habẽt Necesse, totidem syllogismi fiant in singulis figuris, & demonstrantur eodem modo duobus exceptis vno in secunda figura altero in tertia, qui habent particularem negatiuam. ita & connexiones non syllogisticæ, & inutiles sunt eædem in vtroque genere. nec doctrina de commiscendo vtroque genere propositionum in omnibus figuris, est difficilis. discrimen satis magnum est in conformandis syllogismis ex contingentibus propositionibus, & ex mixtis cum hoc vtroque genere separatim, & illa doctrina non paruas habet difficultates, quas nos soluere conati sumus in nostris Commentarijs.

Post traditam rationem conficiendi syllogismos omnes in singulis tribus generibus, & in commiscendis ipsis sumendo alteram ex vno alteram ex alio genere propositionem, quod in omni scientia demõstratiua præcipuum est, docet caussas quamobrem, sint tantum tres hæ figuræ conformandorum omnium syllogismorum cur omnis demonstratio per terminos tres tantum cur non sine affirmatiua. sic omnem doctrinam iam traditam demonstratiuæ contemplatur: quam primam doctrinam huius libri appellat speculationem gignendorum syllogismorum.

Hanc sequitur altera doctrina, qua ratione possimus abundare syllogismis ad omnem propositam quæstionem: sine qua doctrina nullus esset vsus superioris doctrinæ. sicut autem Terminus medius regit superiorem doctrinam, cuius triplex collocatio tres figuras gignit, sic idem medius regit hanc alteram doctrinam, nec diuitiæ syllogismorum aliunde parantur, quam ex com-

parata copia terminorum mediorum in omni rerum genere, sine qua copia nec recte disputari de vlla re nec scribi potest.

Est tertia doctrina qua claudit hūc primum librum de retexendis syllogismis factis: quæ ipsa quoque in medio inueniendo consistit. ita quisque facile intelligere potest naturam intimam syllogismi esse contemplationem hanc triplicem Medij termini, qua ratione collocari, qua inueniri possit siue ad copiam conformandę orationes syllogisticæ, siue ad eam orationem compositam dissoluendam, quæ tria insunt primo & per se syllogismo, qui est genus subiectum priuatum priorum Analyticorum.

Quæ docentur in secundo libro non attingunt tam arcto vinculo propinquitatis syllogismum, quippe cui non primo & per se insunt, sed propter aliud. nam plura in conclusione colligere, quod primo loco traditur, inest syllogismo propter illud, quod per se accidit propositioni, vt terminus conuertatur. eiusdem generis sunt, & reliqua. sunt autem eiusmodi, quæ traduntur in his prioribus libris, vt sine ipsorum præcognitione, non plene percipi possit doctrina posteriorum Analyticorum de Demonstratione.

Verum ex multis, quæ traduntur in secundo libro videor mihi facturus operępretium, si hic exponam eam doctrinam, quam vltimo loco tradit de Inductione de Exemplo, & Enthymemate. Nam sicut syllogismi Dialectici, & Demonstratiui qui sic fiunt, vt in his libris traditur, adhibentur in omni doctrina, & disputatione sic tum disputantes tum docentes vtuntur sępe inductione, quę est ipsa quoque syllogismus quidam, sicut Enthymema, & Exemplum, quæ sunt Arma Rhetorum ad fidem faciendam sumit autem Rethorica

rica

rica, ſicut Dialectica a libris Analyticis ſua principia.

Ordo ſyllogiſticus in Inductione.

Ordo Inductionis eſt ordo tertiæ figuræ in qua quod medij vice fungitur ſubijcitur vtrique extremo: quo tamen ordine non colligitur, ſicut in tertia figura concluſio particularis, ſed vniuerſalis. adhibetur enim inductio ad demonſtrandum ſi opus ſit vniuerſalem propoſitionem immediatam. ſint enim tres termini A B C per C tertium terminum colligimus Omne B eſſe A.

Omne C eſt A
Omne C eſt B
ergo Omne B eſt A

Hęc concluſio hac ratione nititur quoniam C & B ſunt paria, & omne C eſt B conuertitur vniuerſaliter Omne B eſt C quo facto reducitur ſyllogiſmus ad primam figuram.

Sit, A, viuens longam ętatem, B, carens Bile, C, ſingula quæque viuentia longam ętatem. in hac collectione ſingularium omnium conſiſtit vis inductionis, quæ vel fit per ſpecies certas, & genera certa rerum, vel allatis aliquot ſingularibus relinquitur, ſic eſſe concedendum in ſingulis omnibus eiuſdem generis, aut afferendum, quod ita non ſit. collectis igitur ſingulis animalium ſpeciebus, quæ longam ætatem viuunt, & carent bile concluditur omnia, quæ carent bile longam ętatem viuere, quoniam in hoc ſyllogiſmo B & C ſunt paria, & conuertuntur. Inductio in principio poſteriorum ad probandum omnem cognitionem Mentis fieri ex pręcognitis.

A Fieri ex pręcognitis.

B Cognitio Mentis.

C Disciplinæ mathematicę scientię, & Artes de rebus syilogismus Inductio Enthymema exemplum.

C Disciplina Mathematica, sciẽtia & Artes omnes. syllogismus Inductio Enthymema Exemplum fiunt ex A pręcognitis. Omne C. est A.

etc. *Disciplinę Mathematicę sunt omnis cognitio mentis. Omne C. est B. & hæc conuertitur. ergo Omnis cognitio fit ex pręcognitis.*

Est frequens apud Aristotelem vsus inductionis, quę hoc modo reducitur ad ordinem syllogisticum tertiæ figurę.

Quo ordine constet ratiocinatio, quæ appellatur Exemplum, quo vtuntur Oratores.

Sit propositum Oratori demonstrare Atheniensibus non esse bellum suscipiendum aduersus Thebanos, vt perniciosum futurum.

Eius rei persuasio fit si ostendatur bellum contra finitimos esse perniciosum.

Id demonstratur per alia similia bella, quę inferentibus fuerint perniciosa. qua quidem similia exempla quanto plura possunt, adhibent oratores, sed nunc satis sit hoc simile, Bellum susceptum a Thebanis contra Phocenses finitimos fuiße Thebanis perniciosum.

His sic expositis, sic describendi sunt quatuor termini, ex quibus syllogismus vnus fit in tertia figura, sicut dictum est de Inductione: deinde aßumpta conclusione huius syllogismi fit alter syllogismus in prima figura concludens id, quod propositum est demonstrare.

1 A *maius*

1 A *Maius extremum Esse rem perniciosam.*

2 B *Suscipere bellum contra finitimos.*

Quæst. 3 C *An Athenienses suscipere debeant bellum contra Thebanos finitimos.*

4 D *Allatum simile illi, quod quæritur Bellum susceptum a Thebanis contra Phocenses fuisse contra finitimos, & perniciosum. hoc medio vtitur primus syllogismus in tertia figura.*

D *Fuit A Bellum Thebanorum contra* ~~hoc~~ Phocenses *fuit perniciosum Thebanis.*

D *Fuit B fuit bellum contra finitimos.*

ergo B *Erit A ergo Bellum contra finitimos res erit perniciosa.*

Ex hac conclusione fit alter syllogismus in prima figura.

B *Est A Bellum contra finitimos res erit perniciosa.*

C *Est B Nobis suscipitur bellum contra finitimos.*

ergo C *Erit A Si ergo suscipiatur erit perniciosum.*

Hinc licet perspicere, & ordinem, & infirmitatem huius ratiocinationis. In syllogismo si comparentur propositiones cum conclusione fit progressio a toto ad partem: in Inductione a parte ad totum: in Exemplo a parte ad partem. Quæstio enim est res singularis, & quod affertur simile quæstioni est similiter res singularis, restat vt videamus vim Enthymematis.

Enthymematis materia sunt Verisimilia, & signa.

Verisimile dicitur, quod plerumque ita fit, aut non fit, & ita est, aut non est, sicut dicitur; veluti Adolescentes procliues sunt ad Libidinem Inuidos, & maleuolos esse omnibus odio.

Qui

Qui amantur amare mutuo.

Signa triplicia sunt. aut enim rē ipsam comitantur, aut rem antecesserunt, aut rem consecuta sunt. est autem propositio apta ad demonstrandum, qua non solum vt probabili vtantur oratores, sed etiam vt necessaria vtantur, qui demonstrant, quamuis argumentum a signo sit a posteriori, adhibet tamen hoc etiam demonstrator, ita facit hanc distinctionem Aristoteles: vt quæ probabilitate tantum nitantur vocentur signa, quę necessaria sunt aut fere necessaria, & in ordine primę figuræ vocentur τεκμήρια quo nomine significatur id quod scientiam gignit, & vt inquit Cicero est propria rei nota, ex his igitur conficitur Enthymema.

Est autem Enthymema syllogismus imperfectus, quia constat vna tantum propositione, qua vtitur orator sensum auditoris feriente, quæ vero deest propositio est Maior vniuersalis probabilis, & verisimilis. Clodius erat odio Dijs Immortalibus hęc est conclusio: quos semper contempserat, hac est propositio singularis, deest Vniuersalis, religionis contemptores sunt odio Dijs. sic sunt illa, Virtus est bona, qua nemo vti male potest, Pecunia mala est, qua quisque vti male potest Omnis autem Vsus rei bonę bonus est, & rei malæ malus. Verum syllogismus ex verisimili, quod verisimile animo conceptum tacetur, vnde videtur vocari Enthymema, ferè cadit in primam figuram: syllogismus vero ex signo cadit in omnes figuras.

Exemplum Enthymematis ex signo in prima figura.

Hæc mulier peperit quoniam habet vbera distenta lacte.

Quæ-

B
Quęcunque habet vbera diſtenta la-
A
A Peperiſſe — *cte peperit. hac animo concepta.*
Mediũ B vbera diſtenta lacte — *Hac mulier habet vbera*
C Mulier hac — *hanc ſolam dicunt.*
ergo hæc mulier peperit.

Exemplum ordinis ſecundæ figuræ.

Hęc mulier peperit quoniam pallida eſt
Animo concepta.
Mediũ A pallidam eſſe — *Quæ peperere pallidę ſunt*
B peperiße — *Hęc mulier pallida eſt*
C Hæc mulier — *ergo peperit. ſyllogiſmus nullius roboris.*

Exemplum ordinis tertiæ figuræ.

Viros ſapiẽtes eße viros bonos, quia Pittacus Bonus
A vir bonus — *Pittacus eſt vir bonus*
B ſapiens — *Pittacus eſt ſapiens*
Mediũ C Pittacus — *ergo Omnis ſapiens Vir bonus, & hic ſyllogiſmus eſt Maxime infirmus.*


Sunt & ſyllogiſmi hypothetici: inter quos numerantur ſyllogiſmi deducentes ad impoſſibile, quorum ope ſupra vſus eſt Ariſtoteles in demonſtranda veritate concluſionis ſyllogiſmorum Categoricorum: ſic enim vocant ſyllogiſmos, qui tribus illis figuris continentur eo nexu aſtricti quem docuit. Hoc ſyllogiſmo deducente ad impoſſibile vtuntur diſciplinæ mathematicæ, & ſcientiæ. qui modus demonſtrandi ex falſa hypotheſi rei, de qua quæritur confecto

ſyllo-

syllogismo deducente ad id, quod fieri & esse non potest, ostendit verum esse quod proponitur: vt Diametrum non esse cum latere commensurabilem. fac enim esse commensurabilem cum latere: ex hac hypothesi falsa deducunt ad rem impossibilem nempe impares numeros fieri æquales paribus: de qua demonstratione in nostris Commentarijs.

Aliæ orationes hypotheticæ fere constant ex duabus partibus, alteram vocant assumptum. grece ab Aristotele vocatur μεταλαμβανόμενον, & μετάληψις: *cum qua coniungunt id quod quæritur, & proponitur demonstrandum: vt si vna non est uis contrariorum (hoc est Assumptum) non est vna scientia contrariorum: hæc est proposita quæstio. hęc oratio hypothetica nullo nexu syllogistico astricta est: sed ex pacto, si demonstretur aßumptum, etiam quęstio proposita censetur demonstrata. Omnes autem orationes hypotheticæ, & demonstrationes nituntur pacto & conuentione.*

DE



DE METHODO, QVAE VNICA EST APVD ARISTOTELEM.





Ethodus certam significat rationem ac viam, qua doctrinā cuiusque generis tradi oporteat. sic Cicero videtur vim eius vocabuli interpretari cum dicit, in omnibus, quæ ratione docentur & via: &, quicquid est de quo ratione & via disputatur. & apud Aristotelem non ferè aliter methodus accipi videtur, quàm pro doctrina & scientia, & legitima tractatione vnius propositi generis. sic doctrinam Analyticam a se inuentam de conformandis syllogismis, & nexu syllogistico methodum vocat, cum dicit in primo Priorum Analyticorum rationem diuidendorum generum ad definitiones demonstrandas esse exiguam quādam particulam τῆς εἰρημένης μεθόδου, idest traditę a se methodi & doctrinæ. præceptionem vero illam diuidendorum generum appellat etiam ὁδοῦ, idest rationem & viam. sic propè finem Priorum Analyticorum dicit καθ᾽ ὁποιανοῦν μέθοδον, idest in quacunque doctrina. sic in principio Topicorum methodum vocat pręceptionem illam Topicam a se inuentam. vbi & μέθοδον ἔχειν vsurpat sicut ἔχειν ἐπιστήμην, idest scientiam tenere & cōprehensam habere. sic & in principio Physicorum περὶ πάσας τὰς μεθόδους, idest in omnibus methodis, & doctrinis.

ctrinis. & in principio Ethicorum πᾶσα τέχνη καὶ πᾶσα μέθοδος, idest Omnis Ars, & omnis methodus, & doctrina. & in eodem proœmio ἡ μὲν οὖν μέθοδος τούτων ἐφίεται πολιτική τις οὖσα, idest præsens igitur methodus, & doctrina hæc suscipit & spectat, quæ est talis quædam Facultas, qualis est Politica. Nec ferè aliter inuenias vsurpatum hoc nomen apud Aristotelem, quàm pro tota vna legitima tractatione certi vnius alicuius generis, de quo sit ratione & via disputatum. Auctorem igitur Aristotelem secuti, & virorum doctorum auctoritatem, qui vim nominis interpretati sunt de methodo in commentarijs ad libros, qui pertinent ad Doctrinam Analyticam præfati sumus apud Aristotelem in docendo vnam & perpetuam esse docendi rationem: cuius etiam methodi formam breuiter tunc exposuimus, eamq; in illis omnibus libris quos sumus interpretati, de Categorijs, de interpretatione, de Analytica doctrina quatuor libris prioribus, & posterioribus comprehensa ita seruari semper ostendimus, vt illam oculis ipsis liceat intueri, nisi ante acceptæ opiniones ad ea cernenda, quę sensibus exposita sunt, aditum obstruant. Et Topica eandem statim docendi rationem in ipso vestibulo præseferunt. eam enim statim tractationem orditur a præcognoscendis.

Sed quoniam distinctio de via Doctrinæ, & ordine Doctrinæ maximam in scholis auctoritatem iamdiu obtinuit de cuius distinctionis ui magni philosophi doctrina & ingenio præstantes subtiliter disputantes nostris temporibus dissenserunt, res ipsa videtur postulare, vt quod in illis commentarijs breuiter attigi, fusius & explicatius declaretur. ac primum duos locos ex Aristotele proponemus, & considerabimus, qui pertinent ad hanc disputationem: deinde ostendemus Aristotelē hāc vnā viam duntaxat tenuisse nō solum scribenda doctrina

na

na Analytica & Topica, sed etiam in philosophia de natura & in altera philosophia de rebus humanis, quæ libris Ethicis, & Politicis continetur. alter locus est procœmium primi posteriorum Analyticorum. alter ex Ethicorum primo libro desumptus est. Procœmium posteriorum Analyticorum ita se hæbet.

Omnis cognitio, quę ad mentem pertinet, siue docendo, siue discendo existat, ex notitia fit antegressa. quod perspicuum est collustrantibus doctrinas omnes. nam & sciētię mathematicę doctrinam suscepti generis hoc modo peragunt, & ad exitum perducunt: & vnaquaq; cęterarum artium. sic se item res habet in orationibus, tum quæ per syllogismos, tum quæ per inductionē docēt. nam vtreq; docent per præcognita, dum altera quasi ab intelligentibus principia sumunt, altera demonstrant vniuersale per id quod in singulis sensu ipso uerum esse percipitur, eodem etiam modo argumenta Rhetorica ad persuadendum fidem faciūt. aut.n. per exēpla, quod est instar inductionis, aut per Enthymemata, quæ syllogismi vicē obtinent. Duplex autem est omnino præcognitio: alia.n. vera esse ante accipiendū est: in alijs quid sit nomen, quod loquimur, cognoscere oportet: in alijs, & hoc & illud præcognitū habere. exēpli caussa ad veritatem illud pertinet, De omni verū esse aut affirmare, aut negare: de Triangulo si quæstio sit, ante accipere oportet, quid significet: si vero de unitate, & quid significet, & eā esse. nō.n. æque manifestum de ueritate Trianguli, & Vnitatis an sint. Possumus præterea quædam recognoscere, quæ ante cognouerimus, & quorundā itē cognitionē simul & statim pcipere. sic ea recognoscimus quæcunq. sub uniuersali cōtinētur, quorū habem⁹ in ipso uniuersali cognitionē. Oēm.n. Triāgulū pares habere duob. rectis pcognitū habueram⁹: qđ uero hic, q est in semicirculo descriptas, sit triāgulus, simulatq; adductus est in aspectū,

cogno-

cognouimus: (quædam enim hoc modo percipimus, atque id, quod infimum est, nullo medio intercedēte percipitur: & ea videlicet infima sunt quæ singularia sunt & vnum numero, nec de subiecto aliquo dicuntur) at antequam adductus esset sub oculos, aut antequam effecta esset conclusio, modo quidem aliquo fortaſse dicendum est, quod eum cognitum habebam, sed alio modo ignorabam. quod enim prorsus ignorabam an esset, id quæso qua ratione cognoscerem pares habere duobus rectis? sed perspicuum est hoc me modo scire, quoniam vniuersale scio, absolute vero & perfecte non scio. quod nisi ita dicatur, incidemus in nodum illum, de quo scriptum est in Menone: vel enim nihil addiscemus vel ea, quæ nouimus. neque enim vt quidam soluere conantur, dicendum est. scis nec ne scis omnem dyada parem? cū scire alter asseruisset, protulit ille dyada, quam qui responderat cum ne existere quidem eam putaſset, nec parem esse scire potuit. sic enim soluunt atque aiunt, se nō sciſse omnem plane dyada parē esse, sed quam esse dyada norunt. atqui sciunt certe id cuius tenent demonstrationem, & quod sumpserunt ad demonstrandum: sumpserunt autem, non, omnem quem noui esse triangulum aut numerum, sed absolute, & vniuerse numerum omnem, & omnem triangulum. nulla enim propositio talis sumitur, quem tu nosti numerum esse, quod tu nosti rectilineum eſse, sed de omni sumitur. verum nihil, opinor, probibet, quominus quod quis addiscit, id partim sciat, partim nesciat. absurdum enim est, non, si quod nouit, certo quodam modo addiscat, sed si sic addiscat, nempe si quomodo addiscit. id eo modo prorsus ante sciat.

nosti

Scire vero nos credimus vnamquamque rem simpliciter non autem sophistico modo, qui est secundum accidens, quando & eam caussam, propter quam id est, de quo quæritur, credimus cognoscere, eius ipsius caus-

sam

sam esse, nec fieri posse vt id aliter se habeat. & perspicuum est, scire, aliquid eiusmodi eße: siquidem tam qui nō sciunt, quam qui sciunt alteri credunt hoc ita se habere: qui vero sciunt etiam hoc modo rem tenent. quare cuius rei simpliciter scientia est, ea res fieri nequit, vt aliter se habeat. An porro sit alius etiam sciendi modus, postea dicetur. arbitramur autem & hunc existere, qui est per demonstrationem. voco Demonstrationem syllogismum qui efficit, vt sciamus. sciendi effectorem voco, quo scilicet ipso tenendo scimus. itaque si scire ita est, sicuti definiendo posuimus, oportet scientiam quoque Demonstratiuam ex verisque eße & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & quę sint caussæ conclusionis. sic enim erunt & principia propria rei, quę demonstratur. nam syllogismus erit quidem & sine bis, Demonstratio vero non erit: quippe qua si hac absint, non efficient scientiam. vera igitur esse oportet ex quibus fit scientia demōstratiua. quod enim falsum est, nullo pacto sciri potest, verbi caußa, Diametrum cum latere commensurabilem esse. ex primis autem indemonstrabilibus, quoniam si ex demonstrabilibus, non sciet, cum non teneat ipsorum, quę sumpsit, demonstrationem. siquidem scire non per accidens est, quorum demonstratio est, eorum tenere demonstrationem: caussasque prȩterea, & notiora oportet esse & priora, caussas quidem, quoniam tunc scimus, cum caußam nouimus: & priora esse oportet, siquidem caußę sunt: atque illa prȩcognita habere oportet non solum altero praecognoscendi modo, nempe quid vocabulum significet verum etiam praecognoscendo an res sit. Porrò priora sunt & notiora duobus modis. non enim est idem prius natura & prius ad nos relatum, neque notius simpliciter & nobis notius. ac priora & notiora, quod ad nos attinet, ea dico quę magis attingunt sensum: simpliciter autem

R priora

priora & notiora, quæ sunt a sensu magis remota, a quo longissime absunt quæ sunt maxime vniuersalia, sicut ipsum proxime attingunt, quæ sunt vnum numero & singularia: suntque hæc inter se ex aduerso opposita. Ex primis autem esse idem est, quod ex principijs proprijs. nam idem dico primum & principium. itaq; propositio immediata est principium demonstrationis, immediata inquam, qua non est alia prior.

Propositio est enũtiationis altera pars, in qua vnum de vno. quæ si vtramuis partem æque sumit, Dialectica est, si alteram tantum definite, quippe quod ipsa vera sit, Demonstratiua est.

Enuntiatio est Antiphaseos vtralibet pars.

Antiphasis est oppositio inter quam medium nihil intercedit.

Partes Antiphaseos, quæ est aliquid de aliquo, est Affirmatio: quæ vero aliquid ab aliquo Negatio.

Immediati principij syllogistici Thesim voco, quæ non potest demonstrari, nec tamẽ necesse est eam teneat qui ad discendum accedit.

Quam vero necesse est ipse teneat, quo de cunq; rerum genere doceri velit, Axioma voco. sunt enim nonnulla eiusmodi, in quibus id nominis solemus vsurpare.

Ex pertinentibus ad Thesim, quæ vtramuis partem sumit aliquid videlicet aiendo, vel negando est hypothesis.

Quę neque ait neque negat est definitio, nam definitio est Thesis quædam. siquidem Arithmeticus definiendo ponit Monadem esse quantitatem indiuiduam. quæ oratio non est hypothesis: non. n. idem est dicere quid Monas sit, & Monadem esse, vel huic aut illi predicato subijci.

In hoc proœmio tam aperte ostenditur ratio docendi & discendi, vt mirum sit id nõ esse animaduersum. cum enim homo per sensum alia cognoscat, alia mente & intelli-

telligentia, diuersam esse & diuerso modo fieri docet vtriusque facultatis apprehensionem. nam quod pertinet ad cognitionem Vniuersalis, quod mente percipitur, sicut proposita est omnibus scientiis, & artibus, sic gigni nequit sine ope aliena & ex aliquibus præcognitis. est enim vt dicitur in Ethicis διδακτὴ πᾶσα ἐπιστήμη, καὶ τὸ ἐπιστητὸν διδακτόν, idest omnis scientia requirit doctorem a quo tradatur, & quicquid comprahendi scientia potest alio docente disci potest. Quàm late vero pateat hoc Axioma omnis cognitio, quæ ad mentem pertinet siue docendo siue discendo fiat ex notitia fit antegressa, aperte loquitur subsequens Inductio per verbum collustrantibus omnes scientias: vt sit sensus Axiomatis, Quicquid discendo & docendo mente percipi oportet siue pertineat ad mentem contemplatricem siue ad mentem opinatricem, & actricem, nam Διάνοια, idest Mens de vtroque rerum genere dicitur, vt patet in Ethicis, ad id omne cognoscendum ducitur Mens per præcognita.

Omnia vero quæ docendo, & discendo intelliguntur aut sunt qualia docent scientię Mathematicæ sic abstracta a materia, vt nulla in illis habeatur ratio materiæ, aut sic intelliguntur, vt natura constant: vt est vniuersæ scientia rerum naturaliũ, quam scripsit Aristoteles, a qua multiplex vertum [verum] genus humanum ingenium hausit & adinuenit. ergo scientiarum, & artium omnium tradendarum non multiplex est, sed vna via & ratio: cum omnes in re vna aliqua vniuersali versentur necessario, & via ad cognoscendum vniuersale progrediatur a præcognitis, vt hic aperte dicitur & ostenditur. cuiusmodi vero sit & quotuplex & quarum rerum ea pręcognitio, quæ rei susceptæ doctrinam antecedere debet, ipse subiicit, postquam ostẽdit orationes etiam ipsas, quas tractãt libri Analytici, & Topici & Rhetorici

 simi-

ſimiliter progredi a præcognitis. ſic enim inquit, Duplex autem eſt omnino pręcognitio. Hic quidem breuiter dicit de præcognitionibus, & principijs antecedentibus doctrinam alicuius propoſiti generis, & ſcientiæ, ſed in fine huius proœmij diſtinctius hęc res ponitur, & explicatur. nam poſitis duobus principijs, quorum alterum vocat Axioma, ſicuti eſt hęc oratio, De omni verum eſt, aut affirmare, aut negare, alterum vocat Theſim, poſtea diuidit Theſim in hypotheſim, & definitionem, quę etiam vocari poteſt Theſis, quorum principiorum naturam & verbis, & exemplis indicat. ſed hoc lolo ſic indicato, propoſita diſputatio dè Methodo & ratione vnica tradendæ doctrinæ de quocunque rerum genere poſtulare videtur, vt fuſius totam hanc rem de præcognoſcendis ante doctrinam tradendam explicemus: qua de re etiam in commentarijs noſtris in doctrinam Analyticam diſputauimus. Axioma, Theſis ſiue definitio & hypotheſis ſunt tria principia indemonſtrabilia, ex quibus cuiuſque rei ſcientia demonſtratur, nec aliter doctrina de aliquo propoſito genere tradi rite poteſt. Axiomata ſunt quædam ſententię communes, quarum quaſi inſitam in animo cognitionem habere videmur, adeo in promptu eſt eorum cognitio: & propterea dicuntur afferri domo nobiſcum ad Doctorem, vt Totum eſt maius ſua parte, & ſi ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent ſunt ęqualia. ſed hęc ſimulatq. audiuntur, ſenſus ipſe illorum veritatem agnoſcit & confirmat. ſunt & Axiomata ex doctrinis animaduerſione doctorum hominum, vt in hoc proœmio, Omnis cognitio, quæ ad mentem pertinet, ex notitia fit antegreſſa. hæc ſi videntur egere alicuius expoſitionis, comprobantur per inductionem, quæ eſt ratiocinatio pertinens ad ſenſum: vt fit in hoc Axiomate. Theſim Ariſtoteles accipit quidem primo pro principio inde-

mon-

monstrabili, quod minime secum affert qui ad discendum accedit, sed in præcognoscendis ponitur priuatim a docente, cui fidem habere oportet. Hoc principium postea diuidit in definitionem, quam vocat etiam Thesim, & in hypothesim, quæ sunt duo principia propria eius rei, cuius doctrina tradenda est, & demonstranda. Hæc igitur tria sunt ex quibus docent, qui demonstrant. in quo uero uersatur demonstratio, est genus subiectum. quæ vero demonstrantur sunt propriæ affectiones ipsius subiecti, & quæ per se de ipso prædicantur subiecto. nec solum vnaquæque demonstratio constat ex his tribus, περὶ ὃ, quibus verbis significatur genus subiectum, καὶ ἃ, quæ propria demonstrantur de genere subiecto, Καὶ ἐξ ὧν, & ex quibus ipsa propria demonstrantur, sed methodus omnis, & scientia ex his necessario constat & conficitur. itaque Aristoteles semper indicat subiectum genus institutæ methodi, & pace dixerim tot doctissimorum uirorum, qui publice docent, frustra quærunt & extra methodum, quam susceperunt interpretandam, genus subiectum. An non & ratio ipsa docendi postulat, vt indicetur qua de re sit disputatio instituta? id vero non solum indicat Aristoteles, sed etiam ipsius subiecti præcognitionem præponit per definitionem. hunc enim etiam vsum præbet Demonstrationi Definitio, sicut Aristoteles docet, vt videlicet sit principium Demonstrationis. sic traditæ sunt Disciplinæ mathematicæ. sic tradita est Doctrina Analytica ab Aristotele. quæ Doctrina, quoniam oratio ad quantum pertinet sicut numerus & magnitudo, quæ sunt subiecta disciplinarum mathematicarum, similiter mathematicis disciplinis tractatur ab Aristotele nempe, vt res abstracta a materia. itaque in libris, quæ pertinent ad Doctrinam Analyticam, cum nulla ratio materiæ habeatur, sicut etiam in mathematicis, ponuntur statim sine vlla di-

sputatione principia præcognoscenda ante doctrinam tradendam. Liber Categoriarum etiam sine vllo proœmio, sicut fit apud Euclidem, accipit discipulos exercitatos in Demonstrationibus geometricis, & Arithmeticis, præpositis definitionibus, & hypothesibus, quas prę cognoscere oportebat ante doctrinam Categoriarum. quæ Categorię sunt genus subiectum eius libri, quatenus eo vocabulo comprehenduntur omnia, quę loquimur incomplexa nec efficientia orationem. nam cum oratio enuntiatiua composita, cuius doctrina traditur in libris Analyticis, constet ex orationibus simplicibus, quarum doctrina traditur in libro de interpretatione, quæ orationes simplices resoluuntur in hæc, quæ loquimur non complicando: de hoc magis remoto principio illius orationis Analyticæ tractatur in libro Categoriarum quatenus postulat vsus, & ratio illius conficiendæ orationis, quę tractatur in sequenti libro de interpretatione: quæ oratio est alterum principium proximum orationis Analyticæ. sunt enim hi duo libri principia præcognoscenda ante Doctrinam Analyticam.

Cum ergo Doctrina de vocibus incomplexis orationem spectet ex ipsis conficiendam, in qua aliæ voces significant substantiam, aliæ accidens, aliæ prædicantur, aliæ subijciuntur, aliæ sunt homonymæ, aliæ synonymę, alię denominatiuæ, habent aliæ contraria & quibus opponuntur, aliæ non habent, aliæ suscipiunt magis, & minus, alię non suscipiunt, hæc & eiusmodi, quæ accidunt vocibus incomplexis, considerat Categoriarum doctrina. erant ergo in præcognoscendis necessario pręponenda, inde necessario comprehensa contineretur omnis significatio vocum incomplexarum, & vnde manaret, vt aliæ de alijs prædicarentur, alię subijcerentur, & quoniam prædicata in oratione dominantur, erat præscribendum aliquid vnde cognoscerentur vera

unde

prędi-

prædicata, Hęc vniuersa prænotio quinque hypothesibus præscribitur. cum vero in subiectis, & prædicatis, ex quibus componitur oratio, de qua in libro sequenti de Interpretatione, in primis attendenda sit, vt in eo libro docet, homonymia & synonymia, vis harum affectionum, explicanda erat, vt intelligeretur, quid significarent hęc vocabula: & præterea quid essent denominatiua ab aliquo, quod pertinet ad vsum accidentis in oratione. non enim dicimus homo est fortitudo, sed homo est fortis. Deseruiunt igitur, & Theses seu definitiones, & hypotheses principijs prænoscendis ante doctrinam tradendam in omni methodo, vt diximus, & ipse docet Aristotéles ac semper facit. nonne sic faciendum esse dicit, & facit in libro de Interpretatione definiens quid nomen quid verbum, quid oratio, quid Enuntiatio, quam & indicat esse genus subiectum illius libri, quid Affirmatio, quid negatio? nonne incipit Analytica priora statim ab indicando genere subiecto illius vniuersæ tractationis, quæ quatuor libris explicatur, & a definiendis, & supponendis, quæ definire, & supponere oportebat? nonne idem facit in hoc proœmio posteriorum Analyticorum definiendo, quid sit scire simpliciter, tum quid sit Axioma, quid Thesis, seu definitio, quid hypothesis? quę sunt tria principia immediata antecedentia omnem demonstrationem, & scientiam? sic exorditur etiam Topicam methodum, quę pertinet ad Dialecticam facultatem. atque hæc docendi ratio ex constitutis primo principijs hoc modo. cuiusque generis, quod Methodus tractandum suscepit, in singulis his libris, quos diximus, adeo est aperta, vt oculis ipsis cernatur, & mirum videri debeat id non esse animaduersum. nam non tam mirandum est eandem docendi rationem non esse animaduersam in Physica philosophia,

& altera philosophia de rebus humanis, vbi principia constituenda longa egebant disputatione: quę longa disputatio quasi nebulam obduxit oculis, vt ne tam aperte hæc docendi ratio in omnibus eadem cerni posset, sicut in Doctrina Analytica, & methodo Topica, vbi eandem rationem docendi pro palam ipsis oculis expositam intueri licet, quemadmodum etiam in disciplinis mathematicis. atque hęc sint satis, quod pertinet ad procemium primi libri posteriorum Analyticorum.

Alter locus ex primo Ethicorum paullo post procemium quem maxime in suam sententiam pertrahere conantur, qui altercantur de via doctrinę, & ordine doctrina. hoc modo se habet Aristotelis disputatio.

Nolim tamen illud nos lateat differre inter se institutę methodi disputationes, quę fiunt ex positis principiis, & disputationes, quæ fiunt ad principia cognoscenda. scire enim Plato quoque dubitabat, & quærebat vtrum disputandi viam insisteret a principiis, an ducentem ad principia cognoscenda, ceu qui in stadio fit cursus a præfectis ludorum ad metam, aut contra. nam omnino a notis instituenda est disputatio. nota uero duorum generum sunt, altera qua nobis, altera quæ suapte natura & vi sunt manifesta. Ac fortasse, quod ad nos quidem pertinet hoc loco, incipiendum est ab iis, quæ sunt nota nobis. quapropter oportet esse bona & recta eductum atque exercitatum disciplina, qui velit aptus, & idoneus audire de honestis, & iustis, & vniuerse de omnibus, in quibus Politica versatur. rem enim existere, de qua quæritur, & ita se habere est principium eius rei doctrinam antecedens. hac antecedente institutione ex recta disciplina satis si auditor sit pręmunitus, nihil erit opus præterea laborare in afferendis caussis cur ita se res habeat, sed vel ipse eas tenebit, vel facile alio

docente

docente percipiet. cui vero neutrum adest audiat hæc Hesiodi carmina.

Optimus ille, potest qui in cunctis noscere per se
Quid magis in vita expediat. bonus ille deinde est,
Qui bene præcipienti obtemperat. at malus ille
Et nequam: qui nec sapit ipse, nec alterius, qui
Consulit vtiliter, monitis accommodat aurem.

Aristoteles instituta disputatione ad inueniendam Beatitudinis definitionem, de qua re etiam inter philosophos erat magna dissensio, breuiter & opportune digreditur docens duplicem esse viam, & rationem disputandi. nam subiectum genus, & alia principia antecedentia doctrinam tradendam in omni methodo, & scientia non sunt eiusdem naturę. in Mathesibus enim & Analytica Topicaque methodo principia, vt diximus, considerantur pura & abstracta a materia: quam ob caussam nullam habent dubitationem, & ponuntur in principio methodi absque vlla inquisitione & dubitatione. non sic fieri potest in methodis de rebus, vt in philosophia de natura, & in philosophia de rebus humanis: quam vtranque methodo pulcherrima, & accuratissima tractauit Aristoteles: in eiusmodi igitur scientiis non sine inquisitione, & multa disputatione principia constitui, & definiri possunt. eam hic inquisitionem & disputationem docet plurimum differre a disputatione, quæ postea fit a positis, et constitutis principiis: per quam traditur doctrina propositi generis. atque hęc prima pars huius digressionis non potest in alium sensum detorqueri, qui conueniat cum illis, quæ antecesserunt, et quæ consequuntur. nunc ergo per similitudinem indicato discrimine vtriusque viæ, et rationis disputandi, quę contrario modo progreditur, docet omnem prorsus disputationem si rite fiat a notis progressionem facere: et cum nota sint duorum generum, sicut est scri-

ptum

ptum in posterioribus Analyticis, præsenti institutam disputationem concludit faciendam esse a notioribus nobis. in oratione autem Aristotelica aduertendum verbum ἤμῖν γε, quod spectat præsentis temporis institutam de Beatitudinis definitione disputationem. & nullo modo potest hac digressio pertrahi ad distinctionem illam de via & ordine doctrinę, quæ multis concitauit turbas inutiles. progreditur igitur a notioribus nobis præsens disputatio ducens ad cognoscendam naturam propositi principij quod est Beatitudo, id confirmat duplici genere notionis τοῦ ὅτι, & τοῦ διότι: quorum alterum nempe, τὸ ὅτι, & sua natura nobis notius est, & antecedit cognitionem, τοῦ διότι, in omni methodo vbi principia ponuntur esse, & quid sunt, & auditori huius philosophię re ipsa & vitę consuetudine recta notum esse oportet hoc genus cognitionis, sicut præmonuit in proœmio cū disputauit de idoneo auditore. hoc modo intellectę sententiæ huius digressionis, & inter se consentiunt, & cum superioribus, & nihil habent ambigui. nam quę hic disputantur diuersis virorum doctorum sententijs, vt nō magnopere videntur attingere, quā seruat vbique Aristoteles in docendo rationē, sic discentium mentes huc illuc distractas vehementer perturbant. Hic igitur locus aperte ostendit in eadem methodo suscipi interdum oportere duplicem rationem disputandi, cum ambigitur de principijs constituendis quid sint, quæ sint, quot sint, & hæc disputatio necessario progreditur a notioribus nobis, alteram quę positis ipsis principijs progreditur ad ea demonstranda, quæ sunt propria accidentia subiecti generis propositi: a quo principio manat vniuersa tradenda doctrina tanquam a fonte breuisin definitionis descriptione conclusio. & hęc disputatio progrediens a principijs, quę suapte natura & vi sunt notiora, scientiam gignit. & cuiusque scientiæ, & methodi principia præ-

cogno-

cognoscenda sunt, sicut ostensum est in Methodo Analytica & Topica, definitiones, & hypotheses propria cuiusque suscepti generis.

Non est autem parui momenti in construenda metho do generis constituendi iudicium. in quo deligendo vbique admirabilis est Aristoteles id nisi fiat optimo iudicio, quod tamen vix vnus aliquis videtur animaduertisse, necesse est tractationem sumptam hiantem, pertur batam, nec vnam esse & simplicem. id quod in primis omnis recte instituta praeceptio postulat. hoc vnũ & sim plex uocat unum συνδέσμῳ, idest vinculo & nexu, quo quę docentur omnia sic inter se & cũ subiecto cohærcãt oportet, ut quasi membris suo quibusq; loco distributis corpus unum efficiant. Hunc sic constrictum & aptum unius tractationis nexum docuit Aristoteles ex Homero requiri etiã in Epica fabula. itaq; in secundo posteriorũ Analyticorũ, cum eiusmodi tractationis simplicatẽ indi care vult, & docere cuiusmodi sit ἓν συνδέσμῳ λόγος, idest una uinculo oratio, non dubitat exempli causa di cere talem esse Homeri Iliada, in qua quę narrantur om nia ad iratum Achillem, qua persona sic effecta est uelu ti subiectum genus eius fabulę, referuntur. quòd si Poeta in Epica fabula scribenda, in qua miscetur falsa cum ueris, peccat, nec scribit, ut oportet, nisi ita mentitur, sic veris falsa remiscet, primo ne medium, medio ne discrepet imum, atque omnia tanquam membra recte & apte collata corpus vnum efficiant: quid faciet solida veritatis contemplator, & scriptor? qua uere id alia aßequatur uia, nisi acri iudicio uno delecto genere animo omnia comprahensa teneat, & uim singulorum, quę ad ipsum genus pertinent, atque singula suo quaque loco coniuncta distribuat a primo usque ad ultimum, ut siquid amoueatur aut mutet locum, mutilatio, & perturbatio ceu corporis integri consequatur.

regit

regit autem huius continentis ordinis rationem illud praecipue, quo dictum est gigni apud mentem nostram rei scientiam ex aliqua videlicet antegressa notitia. Conuenienter ergo ante vniuersam doctrinam collocatur principium περὶ ὃ, idest genus subiectum, quod & esse, & quid sit praecognoscere oportet, & cum eo siue partes aliquae siue affectiones, & propria si quae postulant explicari, quid sint aut quid significent, tum si qua est hypothesis, quae vniuerse pertineat ad doctrinam propositam, vt indicauimus in doctrina Analytica, & Topica. atque horum etiam principiorum collocandorum ante doctrinam ostendimus in nostris commentarijs esse rationem aliquam ordinis,& prudentiam. Horum vero praecognitio sicuti praelucet primę constituendae doctrinae, vt in illis commentarijs monuimus, sic quicquid deinceps continenter docetur, ita connectendum est, vt quod antecedit, ei, quod sequitur, quasi lumen praeferre videatur. Hic ordo, haec prudens rerum series docendarum vno quasi propinquitatis vinculo coniuncta ab vno delecto genere dimanans Methodus vocatur. quod genus delectum vniuersam docentis contemplationem regit, vt ne terminos institutae disputationis egrediatur, aut inepte digrediatur a re proposita. sunt enim & hae leges methodice scribentis & docentis. Hac primus ratione accuratissime docuit, quae methodice scripsit Aristoteles, qui praeter Analyticam doctrinam, & Topicam scripsit etiam Politicam facultatem, quę est philosophia de rebus humanis, quam diuisit in Ethicos libros, & Politicos. scripsit eodem modo philosophiam de natura. in quibus duabus methodis quoniam hęc docendi ratio latuisse alios videtur propter longas disputationes habitas necessario de principijs constituendis ante doctrinam, conemur illam e tenebris eruere: si modo tenebrae dicendae sunt istae, in quibus quid lateat, probè lippi

bè lippi discernere, & liquide non queant. ac primum conemur dicere de methodo Politica: quam ante Aristotelem nemo sic tractauit, vt quod vniuerse Facultas susciperet Politica, id ordine distributum, sicut ipse fecit admirabiliter, via & ratione doceret. qua de re in fine libri Decimi Aristoteles, & nos in commentarijs nostris copiosius. nunc id tantum quod de methodo proposuimus & quam breuissime fieri potest ostendatur.

Genus subiectum in quo tractando versatur Politica prudentia, quam facultatem appellat architectonicam & principem, cuius caussam vide in nostris commentarijs, est τἀγαθὸν ἀνθρώπινον, idest summum hominis bonum, cuius adeptione homo beatus efficitur. in eo bono adipiscendo cum videret opus esse per diligenti disciplina puerili, eam tractationem bimembrem statuit, alteram inscripsit τὰ ἠθικὰ, idest Ethica. in libris autem Ethicis pręcipuus scopus est vniuerse vi virtutis explicata, & omnium virtutum sigillatim officijs demonstratis, quibus honesti mores recta institutione ab ineunte ætate conformari possint, ea omnia docere, quæ hominem beatum efficiunt: alteram inscripsit τὰ πολιτικὰ complectentem, scilicet vniuerse omne genus ciuitatum administrandarum, vt ostendat quibus legibus ac moribus constinuenda sit optima ciuitas, cui uni propositum est ciues publica cura ad omnem virtutem eruditos beatos efficere. ita cum ostendat in Ethicis rationem adipiscendę beatitudinis per virtutum exercitationem ab ineunte ætate, & cum eius disciplina cura necessario sit vel priuata, idest paterna, vel publica idest ciuitatis, propter auctoritatem, qua possit cogere ad obediendum etiam improba, & inuerecunda puerorum ingenia; in libris Politicis ciuitatem constituendam suscipit, in qua ijdem sint ciues boni, & viri boni: qui in communi conuictu mutuis inter se amoris, & uirtutum

tutum officiis bene beataque viuere possint. hac igitur optime animo comprahensa propositi generis tractatione, in proœmio, vt solet, breuiter indicat quid susceperit tractandum & simul, quanta sit eius rei dignitas, & vtilitas. quam rem etiam obiter dari oportere significat. docuit autem in posterioribus Analyticis genus tractandum dupliciter pracognosci oportere, nempe & esse & quid sit. addit ad quam id genus facultatem pertineat: cuius etiam facultatis amplitudinem & dignitatem ostendit. tum qualis sit propositi generis materia, & quo sit tractanda modo, & quis eius doctrinæ sit idoneus auditor: atque ita auditore preparato statim sicut ratio docendi & methodus omnis postulat, ante omnia statuendum esse dicit, quid sit id quod indicauit & propositum esse Politicę Facultati & se tractandum suscepisse. Hæc vero disputatio in quærenda & confirmanda summi hominis boni, idest Beatitudinis humanæ definitione implet ferè librum primum totum. in cuius libri fine definitioni Beatitudinis adiunctæ sunt duæ hypotheses, altera de diuisione Animę, ad quam animam Beatitudo hominis ex posita definitione pertinet: altera de diuisione virtutis, in cuius videlicet virtutis vsu & exercitatione docuit sitam eße hominis beatitudinē. si quēadmodum in disciplinis mathematicis, & in doctrina Analytica, quæ tractant genus subiectum abstractum a materia, ita hic sine ulla disceptatione poni potuißet hęc definitio cum gemina illa hypothesi (in his enim est summa totius primi libri) nonne hic sicut in illis doctrinis videremus aperte hæc esse principia pręcognoscenda ante doctrinam tradendam? sed cum hæc tam multa huius principij constituendi caußa disputata sint, quid caußæ est quamobrem hæc disputatio non sit aliud, & differat a doctrina tradenda? Doctrina enim tradenda est, quę progreditur a principijs positis, in quibus ge-

nus

nus subiectum obtinet primum locum: quod subiectum esse, & quid sit, precognosci oportet. & sic fit in omni methodo. differunt autem sicut supra ostensum est, differunt, inquam, disputationes inter se, quæ sunt ex principijs positis eorum, quę tractantur, & disputationes, quę ducunt ad principia cognoscenda, quæ disputationes progrediuntur per ea, quæ sunt notiora nobis, vti dictum est. Eodem modo fit in secundo libro longa disputatio, vt inueniatur definitio Virtutis moralis, sub qua tandem inuenta collocantur etiam singularum virtutum moralium definitiones, excepta definitione iustitiæ, de qua separatim vltimo loco prudenti iudicio docet in Quinto libro. qua de re in commentarijs nostris in libros Ethicos. adiungit in fine secundi libri sicut fecit in primo quasdam veluti hypotheses de natura virtutis moralis, & extremorum. est enim virtus medium vitiorum vtrinque reductum. Continet igitur liber secundus alteram longam disputationem de altero principio quod est virtus, & quædam alia itidem statuenda ante doctrinam de Beatitudine. Continet & pars tertij libri propter definitionem virtutis alia principia sine quorum præcognitione doctrina de Beatitudine tradi recte non poterat. nam disputatur quid sit inuoluntarium quid voluntarium, vt inueniatur quid sit προαίρεσις, quæ necessario requiritur in omni actione honesta. nulla enim actio dici potest honesta, nisi iudicio, & consilio suscepta. disputatur, & de voluntate. & cum his quoniam non alibi commodius, & rectius est præclara disputatio, quòd tam virtus, quàm vitium posita sint in nostra potestate. atque hactenus de principijs. his enim quasi iactis fundamentis incipiens ab actionibus, in quibus cernitur fortitudo aggreditur doctrinā de Beatitudine, quę est actio prçstantissima, vsum quidem perfectissimum. & cōstātissimum vir-

virtutum omnium complexa, sed earum præcipue virtutum, quæ ceteris antecellunt. itaque persequitur tractationem singillatim virtutum omnium moralium, & ultimo loco earum, quę sunt actionis, & intelligentiæ, ex quibus cum Prudentia pręsit viriutibus moralibus, & rebus agendis omnibus: sapiētia vero sit suprema mentis humanæ perfectio, hinc exoritur duplex Beatitudo Actiua, & Contemplatiua, de quibus in ultimo libro. in eo posita est magna scribentis prudentia, vt postquam animo comprahenderit omnia, quæ genus susceptum proprie attingunt, uideat quid coniunctim quid melius separatim cum suis principijs tractetur, quamuis vt membra vnius generis vnum omnia corpus efficiant, post virtutes actionis, & cognitionis Aristoteles eadē via positis primo, quæ pręcognoscere oportet separatim septimo libro docet de temperantia, & Tolerantia quid differant ab habitu constanti & imperturbato virtutis, & cum his de uirtute Heroica, & illi contraria feritate: pulcherrimeq; describit continentis, & incontinentis naturam. Octauo & nono libro eadem via tradit, quæ pertinent ad Amicitiam: quę & magnam habet cum uirtute propinquitatem, & maximum est bonorum omnium externorum, quibus eget bonis omnibus hominis cumulata felicitas. Disputat postremo separatim de Voluptate, quam docet ita coniunctam esse cū Beatitudine, ut ab ea diuelli nequeat, siue sit Actiua siue contēplatiua. Prudentis enim & uiri sapientis actiones iucundissimas esse oportet. hæc est Methodus Ethicorum librorum breuiter exposita. in qua licet intueri definitiones, & hypotheses antecedentes doctrinam tradendam, & duplex illud genus differens disputationū a notioribus nobis, & a principijs, quæ sunt notiora suapte ui & natura. Vt vero Ethica; qua inscriptione significatur morum, & uitæ institutio ad uitam beatam

adipi-

adipiscendam: sic etiam Politica tractantur, id est instituendarum ciuitatum rationes, in quibus vna est optima ciuitas in qua ciues bene beateq; viuunt eruditi ad iustum Politicum naturale quod vnum & idem vbiq; terrarum est, sicut docetur in Ethicis. Cum enim societas hominum, quę ciuitas vocatur, sit genus subiectum librorum Politicorum multa disputat de gradibus societatum ex quibus constat ciuitas, de genere multiplici constituentium ciuitatem, de iure multiplici & communicatione, vt tandem inueniat definitionem ciuitatis, quę omnia sunt principia doctrinę tradendæ. sed nos methodum huius alterius membri nunc demonstrandam non suscepimus cum præsertim eam methodum iniuria temporum imperfectam habeamus, vt ostendimus in nostris commentarijs. itaque reliquum est ne fidem promissi fallam vt eandem docendi rationem in Physicis, & scientia naturali demonstrem, & quoniam id ex Physicorum proœmio intelligi pręcipue potuit, si quam haberet sententiam attente animaduersum esset; ipsum proœmium hic positum considerandum suscipiam.

Quoniam cognitio & scientia in omnibus Methodis, & scientijs, quarum videlicet rerum principia existũt, aut caußæ aut elementa, ex ijs principijs, vel caussis, vel elementis percipiendis comparatur: tunc enim vnamquamque rem scire nos credimus, quando & principia ipsa prima & caussas nouerimus primas, ac illud demum cognouerimus, ex quibus res quæque constat elementis: perspicuum est, nobis, quibus proposita est scientia de natura, primo conandum esse, ut definiamus ipsa principia. sic autem comparatum est, ut ad ea, quæ suapte vi clariora sunt & notiora, ea pergamus uia, quæ nobis est nota magis, & aperta. non enim eadem nobis, & per se ac simpliciter nota sunt. quamobrem necesse est hoc modo progrediamur, ab ijs nimirum, quę natu-

ram quidem intus suam tectiorem, & obscuriorem gerunt, ob id vero quod foris monstrãt, nobis notiora sunt, ad ea quæ per sese clariora sunt & notiora. sunt autem manifesta nobis primo & aperta, quæ minus definite & distincte dicuntur: ex quibus deinde per ipsorum distributionem & distinctionem, caussæ & elementa nota fiunt. Quapropter ab vniuerse comprehensis ad ea, quæ sigillatim & distincte sint expressa procedere oportet. nam quod totum est sensu magis percipitur. vniuerse vero dictum totum quoddam est: multas enim ceu partes confuse comprehendit id, quod dicitur uniuerse. accidit hoc idem quodammodo etiam in nominibus, & eorum definitionibus. siquidem totum quoddam & indistincte nomina significant, veluti circulus: cuius definitio confusam illam multorum comprehensionem distribute & singillatim explicat. & pueri infantes omnes primo viros patres appellant & fœminas matres, deinde & hoc & illud distincte internoscunt.

Sicut vidimus in proœmio posteriorum quicquid docetur & discitur, quod ad mentem pertineat, doceri & disci vno & eodem modo nempe a præcognitis, sic hoc exorditur proœmiũ, omnium methodorũ vnam esse viã docendi a caussis præcognitis propositi generis. itaque frustra conamur ostendere varia genera methodorum. In hoc autẽ proœmio quod præponit vniuersę tractationi rerũ omnium naturalium, ostendit, quid sibi propositum sit, & quid ante omnia sibi facere sit necesse, tum quę sit eius faciendi ratio. ostẽdit. n. se suscepisse tractandam scientiam de natura, quod facere nullo modo possit nisi ante certa distributa & definita rerum naturalium principia explicentur. verbum πρῶτον. i. primo, significat cognitionem necessario antecedentẽ rerum tradendarum doctrinam, & διορίσασθαι, id est definire, vt ostendimus in libris Analyticis, & in his libris de principijs

phy-

physicis sæpius licet animaduertere, pertinet ad explicationem principiorum præcognoscendorum. scientia ergo siue, vt dicit in principio libri tertij Methodus de natura postulat hanc primo loco statuendam principiorum præcognitionem definitione explicandam. ita disputãdo ponit quid sit materia, quid forma, quid priuatio, quid Natura, quid Motus & reliqua, quæ primis quatuor libris exponũtur. de quibus, & alijs quatuor libris dicemus quomodo ab Aristotele distinguantur, & pertineãt omnes ad principiorum cognitionem: sine qua præcognitione scientia de Natura tradi nõ potuerit. rationem autem cur sit necesse hac via docere ex præcognitis principijs, affert hic ex Analyticis: tunc enim inquit, tenere nos scientiam putamus, cum primas rerum caussas nouerimus. prima vero sunt quarum alia nulla prior est. cuiusmodi sunt, quę in his libris longa disputatione explicantur. eandem adducit rationem in secundo libro vbi sic scriptum est. His definitis considerandum est de causis, tum quales tum quoto numero sint. nam cum hæc tractatio suscepta sit, vt rerum naturalium scientia comparetur, nec prius cuiusq; rei scientiam tenere nos arbitremur, quàm de re quaq; caussam perceperimus, quamobrem sit, id quod fit percepta prima caussa, sine dubio sic nobis quoque faciendum est etiam in his, quæ oriuntur & intereunt, planeq; in omni immutatione naturali, vt cognitis ipsorum primis caussis in ipsas singula de quibus quæritur, referre conemur.

An non idem colligitur ex his, quod ex proœmio in scientia qualibet tradenda principiorũ notitiam antecedere oportere, & esse res & disputationes inter se distinctas, rerum naturalium scientiam tradendam, & principiorum notitiã necessario antecedentem? res.n. illa sunt subiectum, de quo scientia instituenda proponitur: quod subiectũ sub nomine naturę significatur, cũ dicit sciẽtiã

& Methodum de Natura: Principia uero sunt ex quibus scientia tradenda est. quod postremis uerbis significat dicens, ut cognitis ipsorum primis caussis, in ipsas singula de quibus quærimus referre conemur. utitur & hic uerbo διωρισμένων, quod ad notitiam faciendā principiorum pertinet, quæ notitia fit alia & diuersa ratione, ut dictum est, atque doctrina traditur de proposito genere subiecto. indicat hoc Aristoteles illis proœmij uerbis πέφυκε δὲ, idest sic autem comparatum est, & quę sequuntur usque ad proœmij finem, ostendens rationem huius tractādæ disputationis de principijs, & uiam ad ea principia inuenienda constituenda, & definienda. nihil enim erat magis controuersum inter philosophos, quam quot essent, quæ essent principia rerum naturalium, & cuiusmodi esset eorum natura & essentia. vtitur vocabulo via sicut in Ethicis loco de quo supra, ad significandam rationem multiplicem & differētem disputandi accommodate, scilicet ad rem de qua quęritur. est enim rei disputatio vel per quam scientia paritur caussa prima demonstranda, vel per quam non hoc modo, sed alio modo, idest a notioribus nobis paritur cognitio. immo nec alio modo principiorum cognitio fieri potest. cum enim sint caussę primæ, per alia priora demonstrari non possunt. itaque ad habendam eorum notitiam, quot sint, quæ sint, & quid sint, alia incedendum est via, quam fit in scientia, & doctrina rerum tradenda: vbi via præcipua est ex demonstrandis rerum caussis. in disputatione de principijs via multiplex est, quæ traditur in methodo Topica. in qua tractatione dicit Aristoteles Dialecticam ad quam Methodus illa pertinet magnum vsum Philosophiæ, & scientijs præbere præsertim ad disputandum de primis ex quibus fiunt Demonstrationes, & de principijs scientiarum. Cum ergo ad cognitionem Vniuersalis duplex sit via, & altera scien-

scientiarum sit propria a magis vniuersalibus ad minus vniuersalia, altera qua nos, quorum cognitio a sensibus ortũ habet, ab his, quæ sensu percipiuntur, ad vniuersalia ducit, vt didicimus in posterioribus Analyticis, ad eorum vero notitiã, quę summe vniuersalia sunt, & prima, qualia sunt hæc, quæ proponuntur quærenda, nulla sit alia via, quam hæc ipsa nobis familiaris, nempe ab ijs, quę sensum aliquo modo pellant, nos hic opportune monet eius doctrina, quæ posita est in Analyticis posterioribus, non eadem esse quæ nobis sunt nota, & quæ suapte vi & simpliciter clara sunt & manifesta. illa sunt res istæ singulares compositæ, id quod vere sunt intus tectum gerentes, quod vocant, quod quid est rei, foris illud offerẽtes, quod aptum est percipi sensibus. Hæc vniuersalia sunt res simplices ipsa videlicet per se quiditas rei, & natura suapte vi clara relicta, & abiecta materia, qua obscurabatur. talia vero sunt præcipue in summo gradu collocata vniuersalia lucidissima, & clarissima his ex aduerso opposita singularibus, quæ sunt infima rerum. vna ergo est hæc, inquit, nobis familiaris via qua prouehamur ab obscurioribus suapte natura, & sensum aptis pulsare ad primas rerum naturalium caussas, quę vi sua & natura sunt clarissimę, sed nobis obscurissimæ vtpote quæ sint a sensibus longe semotæ. pergit deinde sub hæc progressum hunc ostendere a nobis notioribus, quem ipse putarit instituendum in hac disputatione proposita de principijs, sine quorum pręcognitione non potest tradi sciẽtia de natura. Et quoniam uerba quædam magnas creant turbas aliunde petẽtibus eorum interpretationem non ex his, vt oportebat, quæ hic dicũtur, nõ erit ab re singula separatim expendere. sine

Sunt autem manifesta nobis primo & aperta, quę minus definite & distincte dicuntur. sic interpretamur τὰ συγκεχυμένα μᾶλλον *. nam quid sibi velint, quæ hic vo-*

cat Aristoteles confusa magis, non aliunde quam a contrario verbo διαιρεῖν, idest distinguere petendum est, & ab his, quae cum eo verbo coniuncta sunt. cum dicit διαιροῦσι ταῦτα, idest diuidentibus & distinguentibus haec scilicet principia & elementa. quid est ergo distinguere principia & elementa videlicet confusa, hoc enim supplendum est, non profecto aliud est, quam distinguere orationem confuse & minime definite, & partite prolatam de caussis, & elementis rerum naturalium, de quibus est instituenda disputatio? significat autem orationẽ illam, de qua dicetur infra, a qua incipit Aristoteles hãc disputationem. haec verba & haec sententia non bene intellecta pugnas conciuit inexplicabiles super verbis καθόλου, & καθέκαστα. sequitur enim διὸ ἐκ τοῦ καθόλου, quod nos interpretamur, quapropter ab vniuerse comprahensis. non est enim hic καθόλου species, & genus abstractum per cogitationem a materia, vt homo, & animal, sed est λόγος καθόλου, idest oratio & sententia vniuerse dicta, pendet enim a superiori sententia. & sicut τὰ συγκεχυμένα, erant τὰ συγκεχυμένως λεγόμενα, idest verba & sententiȩ confuse, nec distincte, & definite prolata, ita hic τὰ καθόλου accipiuntur pro dicta vniuerse & non definite: & quod ibi est διαιρεῖν, idest distincte & distribute dicere, quod confuse dictum erat, hic idem significat verbum τὰ καθέκαστα, scilicet λεγόμενα, idest definite prolata & dicta. quae enim singula sunt, distincta sunt. sic fiet de principiis: suis singula nominibus, & propria singulorum distincta natura nota fient. sic igitur haec verba accipienda sunt hoc loco, cum sit sermo de modo disputandi ad inuenienda, & cognoscenda principia rerum naturalium. confirmat hanc interpretationem id, quod sequitur.

Nam quod totum est ratio cur sententia vniuerse

multa

multa comprehendens sit notior nobis, quam illa singula, ad quę postea distinguendo fit progressus. est enim totum sensui notius, quam partes, quibus constat. hoc autem καθόλου, de quo nunc est sermo, est totum quid, cum multa, tanquam partes id quod vniuerse & indistincte dicitur, comprehendat. duobus postremo exemplis cur nobis talis cognitio confuse, & vniuerse comprehensa sit notior, declarat. nam nomen definiendum comparatum cum ipsius definitione continet in se confuse, & indistincte ea, quæ euoluta & distincta explicat definitio. nomen autem definiendum puta, Circuli, quadantenus etiam imperitis notum est nempe cognitione quadam confusa, cuius distincta cognitio per definitionem viri tantum docti est, & scientis. alterum exemplum est puerorum infantium; quod ipsum etiam mirifice exprimit, & confirmat superiorem interpretationem. & verba illa, quod nomen definiendum sit quoddam totum, quod significet indistincte & confuse, διαιρεῖν εἰς τὰ καθέκαστα, idest singillatim per partes distribute enuntiare, quod facit definitio, & τὸ διορίζειν, idest distinguere in exemplo infantium postquam ætatis progressione sunt adiuti, omnia superioribus pulchre respondent, & ostendunt vim verbi καθόλου quo diximus significari orationem vniuerse dictam & confuse, & τὰ συγκεχυμένα quo verbo idem significatur, & his opposita, τὸ διαιρεῖν, & τὰ καθέκαστα, quasi dicas certa, & distincta. nec est necesse longius petere significationes in Vniuersali, & Singulari. nam seipsum Aristoteles satis, & verbis, & exemplis interpretatur: & sequens ingressus disputationis perspicuam facit hanc progressionem a cognitione confusa, quæ disputando perducetur ad distinctam. sic enim orditur.

Necesse porro est, aut vnum esse principium aut plura: si vnum, vel immobile, vt asserunt Parmenides, & Melissus: vel quod mouetur, quemadmodum Physici, Aerem alij, Aquam alij primum statuentes principiũ: si plura, vel finita, vel infinita: quod si finita, sed plura vno, vel duo, vel tria, vel quatuor, vel alio quopiam numero: si vero infinita, vel quomodo Democritus vno genere comprehensa, sed figura differentia uel specie, aut etiam contraria.

Hæc est oratio primam de principijs notitiam vniuerse, confuse & minime distincte & definite obijciẽs: quod vniuerse dictum & confuse disputando excutietur: vt ab hoc sic uniuerse proposito ad certam definitam, & distinctam cognitionem eius, quod propositũ est, perducamur. Sed redeamus ad id, quod suscepimus demonstrandum in hoc proœmio. Ostendimus res esse separatas docere de natura, & disputare de principijs naturę, sine quorum notitia antecedente tradi scientia de natura non potest. dictum est diuersa uia utrumq; tractari. in altero quæritur caussa quamobrem res sit, quod in disputatione de principijs ne quæri quidem potest. itaque in hac disputatione monuit progrediendum esse a notioribus nobis: cui disputationi quæ docentur in Topicis, argumentorum genus omne suppeditant. itaq; in primo libro, & ultimo de cœlo vocat hos libros primos quatuor de principijs πρώτους λόγους, *idest primas disputationes similes illis disputationibus, de quibus dictũ est antea in loco, quem adduximus ex primo Ethicorum.*

His ita se habentibus consideremus admirabilẽ Aristotelis prudentiam in re tãta suscepta secundum leges Methodi distribuenda. Nomen Naturæ, quàm late pateat multiplex rerum genus, quas hęc uniuersitas complexa est, uirum sapientem monere potest. has res tam diuersas cum animo scienter comprahendisset Aristo-

teles,

teles, & eorum primas caussas, & principia cōmunia, quæ omnia Naturæ nomine continentur. (non enim solū hęc omnia corpora sensibilia, sed illa quoque ex quibus sunt & per quæ sunt & ad quę referuntur ad Naturam pertinent) traditurus scientiam de Natura, quod pertinet ad principia communia & primas caussas, cū esset res intricatissima propter tot dissentientes philosophorum opiniones, uidit necessarium esse eam disputationē separatim tractari: quod uero pertinet ad compositam naturam, quæ est subiectum scientię tradendę, quam intelligit, cum dicit Methodum & scientiam de Natura, cuius caussa susceperit disputationem de principijs, cū ea natura composita complectatur corpora celestia, elementa, animalia, plantas, mixta perfecta & imperfecta, & tam multa & uaria, quæ ipsis accidunt: hoc genus uniuersum naturę nomine nuncupatum in tam multas partes distribuendum iudicauit, quam multas requiret lex Methodi: quæ sic unum spectat, ut arcta propinquitate esse inter se constricta uelit, quæ de uno genere docet. Constitutis igitur & definitis longa disputatione librorum octo, quæ communiter & uniuerse ante sciētiam tradendam de Natura præcognoscenda erant, sicut præfatus erat eorum primo notitiam haberi oportere, quot essent, quæ essent, & quid essent. (primus enim hic labor, ut testatus est in secundo libro, fuit τοῦ εἰδέναι χάριν τὰ φυσικὰ, idest propter scientiam tradendam de Natura (nam uerbum εἰδέναι est ferè de scientia parta per demonstrationem) sic exorditur scientiam ipsam de Natura in proœmio de cœlo.

Scientia de Natura ferè plurimum uidetur esse de corporibus, & magnitudinibus ac eorum affectionibus & motionibus, & pręterea de omnibus illis, quæ sunt eiusmodi corporatæ substantię principia. nam ex his, quæ natura constant, alia sunt corpora, & magnitudines,

nes, alia corpore prædita sunt & magnitudine, alia corpus habentium sunt principia.

Hoc principio, sicut solet, statim scientiæ propositæ subiectum indicat. his enim verbis comprehēdit omnia, quæ habet sibi subiecta scientia de Natura. quæ verba quasi interpretās in principio libri tertij expressius enumerat, Cęlum primum, Astra, Elementa & quę ex elementis, Animalia, Plantas, & eorum partes, & affectiones, motiones & opera, & mutationes singulorum, & alia omnia, quæ sunt & fiunt in hac Vniuersitate. Hac igitur propositione subiecti totius scientiæ naturalis, de quo quærenda sunt & demonstranda propria accidentia & τὰ πάθη, significare uoluit hinc sumere initiū sciētiam de natura post factam notitiam illam communium principiorum pręcognoscendorum. Verum vt secundum leges Methodi tradantur omnia, seligit postea ex hoc amplissimo subiecto partem primam huius scientiæ tradendam corporum quinque simplicium huius Vniuersitatis: quorum Cœlum est omnium nobilissimum; quatuor reliqua sunt principia multarum substantiarum physicarum. huius priuati subiecti doctrina quatuor libris traditur. a qua ceu quodam Coryphæo deinceps mirabili ordine consequuntur alia similiter delecta iudicio subiecta: quorum separatim scientiam exponit. sic ab altera nobili tractatione de Anima, quæ est principium omnium viuentium veluti altero coryphæo consequitur ordine aliorum subiectorum priuata doctrina. quibus omnibus partibus vniuersam doctrinam scientiæ propositæ de Natura perfici atque absolui existimauit. Hanc legem docendi methodicam non solum constanter in omnibus, sed mira in singulis, & vbique seruat diligentia. itaque præter notitiam communium principiorum vniuersæ Doctrinæ de natura præpositam, in singulis priuatis subiectis sua cuique

subiecto

ſubiecto priuata principia præcognoſcenda tradendæ Doctrinæ generis propoſiti præponit, ceu facit inprimo de cœlo, cum definit primo quid continuum, quid corpus, quotuplex ſit magnitudo, & continuum: cum quibus ponuntur etiam quædam hypotheſes pertinentes ad demonſtrandam perfectionem Vniuerſi, & ad diſputandum contra veterum philoſophorum opiniones. ponit enim corpus ſolum ex magnitudinibus eſſe perfectum: quod eſt trifariam diuiſibile, in omnem partem eſſe diuiſibile: magnitudines diuiſibiles eaſdem eſſe etiam continuas: ei quod perfectum eſt nihil deeſſe poſſe. id facit quoniam alia eſt, quę aliquorum vniuerſe ſit conſideratio ad multa pertinentium, alia eorundem ad vnum aliquod genus ſubiectum pertinentium: vt cum de tempore, de finito, de infinito vniuerſe tractat in primis diſputationibus, & cum ad priuata ſubiecta eadem conſideranda traducuntur: veluti ad corpus cœli uel aliud corpus mobile. itaque ex communibus fiunt poſtea priuata principia huius aut illius ſubiecti. vtriuſque conſiderationis meminit in illis primis diſputationibus in principio libri tertij, cum dicit illam cōmunem conſideratione̅ anteponendam eſſe priuatæ tractationi, quæ poſtea fiet. his.n. verbis vtitur, ὑστέρα γὰρ ἡ περὶ τῶν ἰδίων θεωρία τῆς περὶ τῶν κοινῶν ἐστὶ, ideſt nã quę de priuatis & conſideratio poſterior eſt illa, quæ de cōmunibus. quibus verbis ſignificare voluit illam communium conſideratione̅ in libris illis expoſitam futurę doctrinę cauſſa fuiſſe, quę in priuatis ſubiectis demonſtranda erat ad abſoluendam ſcientiam de Natura. ſed & illam tractationem principiorum præpoſitam vniuerſæ Doctrinæ de Natura pulcherrimo diſtribuit ordine. nam quatuor primi libri, quos in octauo libro bis nominat ſemel hoc modo Ἀρξώμεθα δὲ πρῶτον ἐκ τῶν διωρισμένων ἡμῖν ἐν τοῖς φυσικοῖς πρότερον, ideſt ordiemur autem ab his,

quæ

quæ definita nobis sunt in Physicis prius: iterum his verbis ταῦτα γὰρ δέδεικται πρότερον ἐν τοῖς καθόλου περὶ φύσεως, idest hoc enim ostensum est prius in his, quæ vniuerse de natura: quatuor inquam primi libri continent ipsa principia communia rerum naturalium: inter quæ principia cum primum locum teneat natura propterea nominat, quæ tractantur in illis quatuor libris τὰ φυσικὰ, idest naturalia, vel quæ uniuerse de natura quasi dicas principia communia rerum naturalium. hæc ergo conuenienti ordine sic collocat. primo loco statuit materiam, formam, priuationem. nam compositum naturale est tum ex forma, quę fit, tum ex materia idest subiecto, quod conformatur, & informitate ipsius subiecti, quę abscedit & vocatur priuatio. ita essentialia principia componentia sunt duo, materia & forma; priuatio accidens est vnum numero cum subiecto. his inuentis, & definitis, Naturam definit, quæ cum proprie significet compositum, recte collocatur post illa, ex quibus compositum corpus constat. Sed cum ad rerum generationem naturalium non solum materia, & forma cõcurrant, uerum etiam caussa effectrix, & caussa propter quam res fiunt, commode cum natura tractantur quatuor genera caußarum, & cum ipsis fortuna, & casus, quæ sunt in genere caussæ efficientis. Cum vero Natura sit principiũ entibus insitum motionis, & quietis, propter hanc definitionem postea sequitur, vt declaret quid sit motus, propter quem simul exponitur natura continui & infiniti, & præterea tractat de loco & inani & tempore. motus enim fit in loco & tempore. ex his quisque facile intelligere potest, primum, tractaturo scientiã de Natura, quam fuerit ei necesse ex lege Methodi ante omnia definire, quid sit Natura subiectum ipsius scientię, & cum natura hæc omnia quæ numerata sunt: deinde quam congruenti ordine in his quatuor libris hæc omnia

nia disputentur. incipit enim a simplicibus ex quibus constat subiectum scientiæ, desinit in illa, quæ subiectum necessario consequuntur. enumeratis, & expositis ordine principijs, sine quibus Methodus de Natura explicari non poterat, libris quatuor reliquis persequitur, quæ de Motu vniuerse erant cognitu necessaria, ante scientiam eandem tractandam. nam disputatio de motu, & latissime patet, & est omnium maxime physica. Cum igitur omnis mutatio fiat ex oppositis, vel ἐναντίως, vel ἀντικειμένως, & generatio substantiæ fiat ex non ente, in quo nullus potest esse motus, docet generationem & corruptionem ad motum non proprie pertinere. itaque species motus esse, in quibus mutatio fit in contrarium nempe in loco, in Quantitate, & Qualitate: & de his omnibus mutationum generibus disputat. tum multa de natura motus, quod sit diuisibilis: indiuisibile enim non moueri: itaque & fieri in tempore, cum tempus sit diuisibile, & cum omnis mutatio respiciat finem & terminum ad quem sintque certi mutationum omnium termini nullam mutationem esse infinitam. Et quoniam quæ mouentur, habent a quo moueantur, vel intus vel foris, quod mouet vt caussa efficiens esse coniunctum cum re mota: quod vero mouet, vt finis, non esse coniunctum cum re mota: Et cum motus non sit sine mobili præcedente, mouensque & mobile sint ad aliquid, & entium alia moueantur semper, alia modo moueantur modo quiescant, alia sint immobilia perducit disputationem ad primum mobile, ex cuius motu perpetuo & nunquam intermisso vnicum esse oporteat mouens supra omnia, immobile, incorporeũ, immutabile, æternum. nec fuit inconueniens cum disputetur de primis caussis rerum naturalium, disputationem perduci vsque ad caussam caussarum omnium, quæ est supra naturam. attingit enim etiam Diuina philosophus naturalis quatenus habent coniunctionem

motus

nem cum natura. sic quę in his quatuor libris vltimis tractantur vniuerse de motu, sunt veluti hypotheses quędam, ex quibus multa, quæ tractantur priuatim in scientia de Natura, demonstrari possint. Quam breuissime fieri potuit ostendimus Aristotelem eundem seruaße modum etiam in Methodo de Natura. Hac est igitur, vt nos putamus, ratio recte docendi vbiq; una apud Aristotelem, quā nō videntur animaduertisse, qui alias methodos commenti sunt siue plures, siue pauciores, & qui de via & ordine doctrinæ tam acriter inter se litigant, vt adhuc contentionum sub iudice lis sit. quę distinctiones tantum abest, vt quippiam lucis afferant ad intelligendam philosophi sententiam, vt magnis etiam dubitationum tenebris mentem discentium inuoluant. Itaque & nemo fortasse tam accurate quam Aristoteles scribendo docuit: cum nemo illud vnum & simplex, quod oratio recte docentis postulat, vt tractatio sit vna vinculo & nexu, cognouisse videatur: quod Aristoteles etiam in Epico poemate esse oportere ex Homero viro sapientissimo demonstrauit. Verum nostram illud quoque sententiam de vnica methodo, & ratione recte docendi uehementer cōfirmat, quod est in Ethicis, in actionibus humanis peccari quidem multipliciter, recte vero agendi rationem vnam esse: ergo & de quacunque re docendi recte atque scribendi: cum ea præsertim methodo, quam descripsimus ex libris Aristotelis methodice scriptis, nihil accuratius, nihil perfectius fieri, aut etiam fingi possit.



